


EPISTULA LEONINA

CCLXXX

HEBDOMADALE
 PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
 QUOD ĒDITUR
 E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI
 CUI NOMEN EST
 LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS G R A T I S ET S I N E ULLĀ OBLIGATIONE. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-CCXXXIX INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR: <https://ephemerisnuntii.eu/leonina.php/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS. ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM

DUCENTESIMAM OCTOGESIMAM (280)

ARGUMENTA

PRAEFATIUNCULA.....	03-05
BARBARUS HIC EGO SUM QUI NON INTELLIGOR ULLI.....	06
MEDII AEVI VERBIS LATINITATEM VIVAM DITIFICARI.....	07-09
ALEXII SCATEBRANI RUTENI INITIA ELOQUENTIAE LATINAЕ.	10-13
Moscoviae MMVIII. Praefatio.	
DE TRIANGULIS <i>scripsit Ansgarius Osloensis</i>	14-16
CHRONOGRAMMATA RÖSSLERIANA.....	17-29
PELARGOLOGIA SIVE HISTORIA CICONIARUM.....	30-87
1. Onomasticon ciconiae polyglottum.....	31
2. Symbola Thesauri Linguae Latinae, q.e. ciconia.....	32-33
3. Plinius maior de ciconiis.....	34
4. Ovidius de Antigones in ciconiam mutatione.....	35
5. Phaedrus de vulpe et ciconia.....	35
6. Familia Ciconiidarum.....	36-51
7. Ciconia alba.....	52-66
8. Fabella Ciconiarum (<i>Andersen/ Leo Latinus</i>)	67-73
9. Fabella Chalifae Ciconini (<i>Hauff/Hundsrucker</i>)	74-87
NARRATIUNCULAE PUERI MALE MÔRATI (XIII) (<i>Thoma/ LL</i>)	88-100
ECHUS VOCES & EPISTULAE.....	101-125
<i>Alexius Vestigiarius (101-106) – Ansgarius Osloensis (107-109) – Iohannes Petrus Knijff (109-111) – Joannes Carolus Mediolanensis (111-115) - Marcus Cristini Brixianus (115-116) – Radulfus Bonaeropolitanus (116) - Maximilianus Pulcher Mystagogus (117-118) – Naevius Sartorius (118-125)</i>	
IN MEMORIAM PISSIMAM IOHANNIS BAPTISTAE	
EICHENSEER (<i>scripsit Caelestis Eichenseer d.29.9.a.1976</i>)	126
EPISTULA CHRISTIANI LAES.....	127-128
CERTAMEN QUIRINALE.....	129
MYSTAGOGUS PULCHER AUGUSTANUS.....	130
ALEDARIUM QUID SIT (<i>Alexius Vestigiarius</i>)	131
LIBRI LEONIS LATINI.....	132-135

PRAEFATIUNCULA

LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATIS AMANTIBUS
SAL.PL.DIC.

Cara Lectrix, Care Lector,

quomodo te habes? Rectêne vales?


Denuo Leo tibi praebet Cornu Copiae et Saturam Lancem: Lectionem utinam ne asperneris: magna est varietas, quia delectat, habemus etiam aliquid aptum ad gustum tuum delicatissimum. Persona huius Epistulae Leoninae praecipua est (praeter Leonem, qui semper inest) **CICONIA!** Helluare, queso, in **PELARGOLOGIÂ** nostrâ! Babae, sanê insunt res stupendissimae! Tres habemus **fabellas prolixas iocosas mirabiles**, a magnis narratoribus confictas, qui sunt Iohannes Christianus ANDERSEN et Vilelmus HAUFF et Ludovicus THOMA, necnon Latinâ ueste ornatas. - Nec **historia artis figurativa**e a Leone negligitur ("De Triangulis"): Nam Ansgarius Osloensis Museorum Hispanicorum frequentator huic discipline magno cum fervore deditus est. **Cimelium philologiae neolatinae excellentissimum** tibi commendo omni quâ par est observantiâ: Agitur de Latinâ Praefatione elegantissimâ Operis prolixî (linguâ Rutenorum scripti), quod composuit Alexius Scatebranus vir doctissimus: **Initia Eloquentiae Latinae.** Idem Scatebranus in magno quodam capitulo operis sui fusê

tractat neologismos Latinos; quod proximâ in Epistulâ Leoninâ recensere mihi in animo est.

Denuo Leo te monet **CERTAMINIS QUIRINALIS**. Utinam quam plurimi iuvenes ingeniosissimi et Latinissimi nomen dent participando! - Ceterum iurat et delectat participare **MONSTRATIONES AUGUSTANAS**, quas hac aestate habet summâ peritiâ, Latinitate disertissimâ Mystagogus Maximilianus Pulcher. Ne umquam praetermittas, o Musae Leoninae amatrix amatorue, **CHRONOGRAMMATA** Tobiae Rössler artificiosissima! Et prolixum sanê opus **SCATEBRANI** totum et praecoxium **ALEDARII** mihi ab Alexio VESTIGIARIO perhumaniter sunt missa; utinam quam plurima Latina accipiamus ex Europâ orientali. Nam Latinitas huius regionis uberrima alibi parum nota esse mihi videtur.

Ceterum intimo ex animo tibi suadeo, ut perlegas etiam **PISTULAS ET ECHÙS VOCES** mihi a lectoribus benignè oblatas, qui cogitationes commotionesque suas animorum exprimant Latinitate incundissimâ... Nunc laetare perlustrans symbolas huius Epistulae Leoninae. Si eos textûs quos Leo aut edidit aut ipse scripsit aut togâ ornavit haud aspernatus eris - »**sublimi feriam sidera vertice**«. - Cara Lectrix, care Lector, --- pancreticê valeas et pergas mihi favere. Medullitus te salutat...

Dr. Nicolaus Groß
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



<http://www.leolatinus.de/>

LEO LATINUS

Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae

Die Iovis, 20. m.Iul. a.MMXXIII




Ovidius inter Scythes versans. A.1862 pinxit Eugène Delacroix
Museum Artis Metropolitanum

BARBARUS HÎC EGO SUM QUI NON INTELLIGOR ULLI

OVIDIUS, *Tristia, V, 10,35-40* Exercent illi sociae commercia linguae:/ per gestum res est significanda mihi./ **Barbarus hîc ego sum, qui non intelligor ulli,**/ et rident stolidi verba Latina Getae;/ meque palam de me tuto mala saepe loquuntur,/ forsitan obiciunt exiliumque mihi./ Utque fit, in me aliquid ficti, dicentibus illis/ abnuerim quotiens annuerimque putant.

MEDII AEVI VERBIS LATINITATEM VIVAM DITIFICARI



p.884					
Rüstung	armour	armure	armadura	armatura	armātūra, -ae f.
Helm	armet	armet	celada	celata	galea, -ae f. cassis, -idis f.
Sehschlitz	vision slit	fente de vision	ranura de visión	fessura oculare	*oculārium, -īn n.

Kinnreff, Barthaube	bever	mentonnière	barbote	barbozza	tegmen *mentāle
Oberarmschiene	rerebrace	brassard	brafonera	cannone di braccio	+abrossāta, -ae f.
Armkachel	couter	cubitière	codal	cubitiera	lāmina cubitālis
Unterarmschiene	vambrace	canon d'avant bras	avambrazo	cannone di antibraccio	rēgula bracchī
Panzerschurz	chain mail	cotte de mailles	cota de malla	cotta di maglia	succinctōrium cata- phractum
Diechling, Schenkelstück, Beintasche	cuisse	cuissard	quijote	cosciale	+corāle, -is n.
Beinröhre	greave	grève	greba	schiniere	ocrea, -ae f.
Schnabel	poulaine	poulaine	escarpin	punta articolata	rōstrum, -ī n.
Bärlatsch	sabaton	soleret	escarpe	scarpa a lame	calceus rōstrātus
Kniebuckel, Kniestück, Kniekachel	poleyn	genouillère	rodillera	ginocchiera	genuāle, -is n.
Panzerhandschuh	gauntlet	gantelet	guantelete	manopola	+chīrothēca, -ae f.
Bauchreifen	tasset	tassette	escarcela	fiancale	pars laterālis
Vorderschürze	skirt	braconnière	faldar	falda	+prōcinctōrium, -ī n.
Bruststück	breastplate	plastron	peto	petto	pars pectorālis
Vorderflug, Schulterstück	pauldron	épaulière	espaldarón	spallaccio	+spaleria, -ae f.

***oculārium, -ī n.**

[Johann Rudolph Fäsch, Kriegs-Ingenieur-artillerie- und see-lexicon, p.959: “Visier, L. **Ocularium**. Galeae tegmen, heist die Oeffnung an den Helmen oder Casqueten, welche entweder frey oder mit einem eisern Reiffen verwahret ist, um das Gesicht brauchen zu können.” cfr Kirsch, *Cornu copiae Linguae Latinae et Germanicae*, Augsburg 1759, 1, 815; *ocularium, -i n.*]

tegmen *mentāle

[2. med. *musculus mentalis*, *vena mentalis*, *arteria mentalis*, *foramen mentale*,]
buccula???

+abrossāta, -ae f.

[cfr MÜLLER, Hermann Alexander/ MOTHES, Oscar: Illustrirtes Archäologisches Wörterbuch der Kunst des germanischen Alterthums, des Mittelalters und der Renaissance, Erste Abtheilung A-H, Leipzig & Berlin 1877, 2. Abtheilung ibid. 1878; 2. Abth., p.754sqq., s.v. Plattenrüstung, p.755: “Armschienen,... latein. abrassata, braceria..”]

+corāle, -is n.

[cfr MÜLLER, Hermann Alexander/ MOTHES, Oscar: Illustrirtes Archäologisches Wörterbuch der Kunst des germanischen Alterthums, des Mittelalters und der Renaissance, 2. Abtheilung ibid. 1878; s.v. Plattenrüstung, p.756: “Schenkelstücke, Beintasche, Diechlinge, ...latein. Coralia...”]

rōstrum, -ī n.

[cfr MÜLLER, Hermann Alexander/ MOTHES, Oscar: Illustrirtes Archäologisches Wörterbuch der Kunst des germanischen Alterthums, des Mittelalters und der Renaissance, Erste Abtheilung A-H, Leipzig & Berlin 1877, s.v. Fußbekleidung, p.435, col.B: „**Schnäbel...**, latein. **Calcei rostrati** oder ocreae rostratae“]

genuāle, -is n.

[cfr MÜLLER, Hermann Alexander/ MOTHES, Oscar: Illustrirtes Archäologisches Wörterbuch der Kunst des germanischen Alterthums, des Mittelalters und der Renaissance, 2. Abtheilung ibid. 1878; s.v. Plattenrüstung, p.756: Kniestücke, Kniekacheln: latein. genualia, goniculares, polena]

+prōcinctōrium, -īī n.

[Ducange s.v.]

+spaleria, -ae f.

[cfr MÜLLER, Hermann Alexander/ MOTHES, Oscar: Illustrirtes Archäologisches Wörterbuch der Kunst des germanischen Alterthums, des Mittelalters und der Renaissance, Erste Abtheilung A-H, Leipzig & Berlin 1877, 2. Abtheilung ibid. 1878; s.v. Platten-rüstung, p.755:
Schulterstücke, latein. spaleria]

In nonnullis capitulis *Orbis Picti Hexaglotti* etiam inveniuntur notiones mediaevales, quales sunt partes *armaturae equitis* aut *burgi castri* aut *ecclesiae cathedralis gothicae*. In talibus partibus denominandis oportet fidem historicam servare, i.e. non novis nominibus imponere rebus, quae iam habent mediaevales terminos technicos. Scilicet interdum investigationes historicae laboriosae sunt necessariae. Sed operaе pretium est talia nomina servare et denuo Latinis verbis illustrare. Dolendum est, quod adhuc nonnullae inveniuntur sententiae praeopinatae de Latinitate mediaevali dictae. Quae nequaquam tantummodo constat ex Latinitate monachorum vulgarium depravata. E.g. *Bernardus Clarivallensis aurea Latinitate* utitur. Omnis fere natio Europae habet suum Lexicon Latinitatis mediaevalis, quibus haud raro invenitur cimelium, quod dignum sit redanimatione. Etiam amicis *Latinitatis Vivaе* operaе pretium est lexica Medii Aevi Latina pervolvere... Nam verus humanista paratus est ad omnes thesauros Latinitatis quaeritandos et antiquos et modernos – et mediaevales...

SCRIPSIT LEO LATINUS

ALEXII SCATEBRANI RUTENI

INITIA ELOQUENTIAE LATINAЕ

PRAEFATIO

*Praefationem **Initiorum Eloquentiae Latinae**, operis copiosissimi a **Professore Alexio Solopow sive Scatebrano**, palaeophilologo Universitatis Moscoviensis, doctissimē compositi et a.2008 in lucem editi, ob elegantiam sermonis et gravitatem argumentorum in Epistulā Leoninā divulgare mihi cordi est. Praeterea valdē delector Indice nominum geographicorum (Sc. 421-589) et neologismorum (Sc.609-656). Velim hos indices recensere in EL proximā (EL 281).*

*Haec hactenus, mox plura. **Leo Latinus.***

Academiae Moscoviensis
 Elisabetanae Lomonosovianae
 Schola Grammaticorum

Utriusque Linguae Grammaticorum Statio
 Academiae Artium Rutenicae Consilium
 Utriusque Linguae Grammaticae ac Linguarum et Litterarum
 Collationis Contentionisque

ALEXII SCATEBRANI RUTENI

INITIA ELOQUENTIAE LATINAЕ

In aedibus Indrik

Moscoviae MMVIII

PRAEFATIO

Quamvis Ciceronis et Quintiliani libros in eloquentia explicanda aemulari atque ex tali certamine una saltem coronatam, nedum, Martine, victorem abire conari cuique humanitatis non plane experti ridiculum sit, tamen affert aetas quaeque secum aliquid novi ac magistros rationes docendi quodam modo mutare cogit. Ceterum ne in animo quidem habui eloquentiae Latinae totam disciplinam ad rationem revocare, quamquam nostratibus quidem civibus nullus liber recentior est de hac re scriptus Caroli Frederici de Naegelsbach illo praeclaro, eoque ab Alexandro Strachov ex editione nunc iam dudum obsoleta in Rutenicum converso ac Moscoviae a.MDCCCLXXV, centum triginta duos abhinc annos, in aspectum lucemque prolato, – nempe hoc quem confeci commentario non praecepta artis bene Latine scribendi traduntur, sed vestibula tantum aditusque ad artem aperiuntur. Etenim duodecim fere annos in hac arte docenda versatus, qui scholas eloquentiae Latinae a.d. V K.Dec. a.MCMXCV in Academia Moscovensi inchoaverim, et duodecim annos amplius – ab anno MCMXCIV, a.d. X K.Ian. - oratoris publici apud Moscovenses munere fungens satis magnam cum rerum tum vocabulorum copiam paravi, quae video Latine loquentibus vel scribentibus hoc tempore usui esse maximo.

Diu ergo multumque mihi de Latinitatis aetate recenti incrementis et prope fatis cogitanti ac varia scripta ad hanc rem pertinentia revolventi aliquid intellexisse visus sum, quod hoc libro notarem.

Humanitatis et Latinitatis studia ad saeculi XVIII fere ipsum initium in diem creuisse, deinde autem sensim obsolefieri coepisse nemo litteratus est qui nesciat. Hunc recessum minime tamen aequali cursu progredi et momenta quaedam sua habere animadverti, in quibus discrimen maximum in saeculi XIX decennium quartum cecidisse ita, ut, cum anno MDCCCXXXI permulti libri et commentationes doctae in ephemeridibus volgatae Latinae etiam sint, disputationesque Academicæ in quavis fere disciplina Latine plerumque quam habitæ tam scriptæ, anno MDCCCXL iam paucissimi viri docti reperirentur qui ab hac recta via non decessissent, et maxime utriusque linguae grammatici et herbarii et medici, perraro iuris consulti; quin etiam, complures videmus homines eruditos decennio illo ineunte Latine, vertente vero barbare opera sua concepisse. Placuit ideo eam Latinitatis aetatem, quae annum MDCCCXL secuta est, nunc usque continuatur, a priore disiungere atque aetatis recentissimæ nomine distinguere, utpote ad quam designandam vix iam metallum aliquod ea dignum inveniretur.

Hac recentissima aetate paucae, immo tres, terrae manserunt ubi linguae Latinae disciplina more tradito continuata est, Germaniam dicimus Britanniam

Italiam. In iis Germani et Angli copiam librorum in primis magnam ediderunt in usum Latine scribentium compositorum, quibus libris utriusque gentis diversa indoles se protulit: Nam Germani commentariis suis innumeris leges et normas constituere student ex scriptorum optimorum operibus undique diligentissime collatas, cum Angli tanto labore paene omnino supersedeant ac maximis tantum et principalibus, quamquam plerumque felicissime animadversis, rudimentorum loco tractatis summam in ipsis scriptoribus Latinis magna cum cura legendis inque imitantium iudicio consistere putent.

Tribus capitibus, quorum *primo* eloquentiae Latinae gradus et aetates explicantur, *secundo* lexica Latina recensentur, *tertio* vero scripta Latina, praesertim ex aliis linguis in Latinum conversa, exemplorum loco proponuntur, *quartum* adieci, quo de nominibus locorum et de vocabulis novis fingendis disputarem; ibi nonnulla novata insunt.

Ut linguae Latinae apud Britanniae cives usum affatim explorarem, feliciter accidit, cum annum Academicum secundum millesimum tertium et quartum in Academia Oxoniensi Collegii Omnim Animarum iure hospitii socius manerem. Itaque nobis non modo conviviorum sollemnium amoenitatis ac boni ominis avium in canendo seseque in aqua mergendo assiduitatis, verum etiam cum precum gratulationumque tum inscriptionum frequentium Latinitatis, quin etiam, collegarum Atticae urbanitatis consuetudo contigit, quorum ex numero hoc loco Iacobus Adams et Alexius Sanderson et Milo Burnyeat sunt in primis nominandi quibusque magnam gratiam habeo.

Nahumii fratres Nicetas et Theodorus, viri splendidi atque honesti, impensam huius libri proferendi liberalissime praestiterunt.

Ioannes Davis, Omnim Animarum Collegii Custos omniumque bonarum artium fautor, summa voluntate studia nostra prosecutus est. Petri Glare et Hederae coniugis eius amicitiae et humanitati quam multa cum in animi bonis tum in vita communi debeamus, dici hic vix potest. Davidis Howlett subtili doctrina summaque industria persaepe adiuti sumus. Petrus Parsons multa nobis quam in scholis suis tam in colloquiis privatum habitis aperuit qualia aliter minus intellegarimus. Stephaniae West et Annae Morpurgo Davies et Ioanni Simmons cuius mortem dolemus, et Leoni Holford-Strevens et Richardo Sharpe et Ioanni Penney, hominibus litteratissimis, rerum Britannicarum sermonisque Latini in Britannia culti vicissitudinem variam notitiam debemus; ex Prof. Georgio Nardone (S.I.) et Dn. Petro Antonio Gios de sermonis Latini in Italia condicione certa quaedam comperimus. Auliverio Padel, viro clarissimo ac nominum locorum peritissimo, suo loco in libro ipso gratiae aguntur. Andreae Sytin doctrina uberrima ad rerum praesertim ad herbariorum Latinitatem spectantium cognitionem contulit, Aemilius Pianezzola ea qua solet humanitate in Italorum grammaticorum fatis explicandis opem tulit quam maximi facimus,

Claudio Marangoni collega ad opus sociato; Annae Friedrich, mulieris eruditissimae, in Germanorum quaestionibus quibusdam cognitu difficilioribus enodandis subsidium certissimum fuit. Sunt tamen quae nisi ex Aloisio Miraglia eiusque memoria, thesauro rerum omnium, repeti non potuerunt; Pancratii Zelczenko Valdemari f., multarum litterarum homini, rerum Petropolitanarum certam notitiam debeo. Marina Remneva Leontii f., Academiae Moscoviensis Elisabetanae Scholae Grammaticorum Profestrix et Decana illustrissima, huic libro parando et edendo immensum quantum contulit; Valdemarus Kurtov Basilii f., Scholae Philosophorum Decani vicarius omnisque Minervae homo, cum aliis in rebus tum computatriciis saepe nobis auxilio venit. Galenae Kuzina Pauli f. Helgae Koldajeva Nicolai f., ex Academiae Moscoviensis artium liberalium bibliotheca, Normae Aubertin-Potter Guineverae Morgan, ex Omnium Animarum Collegii Oxoniensis bibliotheca, navitate et diligentia pluris libros a volgari intellegentia remotos perlegere potui; Sigismundi Ritook benevolentia de scriptis Latinitatis Hungaricae certiores facti sumus. Hic liber censorum suorum, Nicolai Kazanskij, Professoris et Academiae Artium Rutenicae Socii, atque Alexandri Fabricii Sergii Stephanici, Academiae Moscoviensis Professorum adiunctorum, adnotationibus emendatior in lectorum manus venit. Qui, utpote fructus annorum quibus Eloquentiae Latinae scholas habui, in lucem edi nequivit sine iis, qui illas scholas frequentaverunt quaestionesque propositas sermonibus tractaverunt ac multa ex aliis linguis in Latinum verterunt; quorum ex numero Evae Ianzinae et Maiae Pait auxilium egregium erat. Indicis conficiendi laborem Maximus Uncinus Caecus et Anastasia Aurauris suscepserunt. Singula permulta ab Alexio Philtrio Helgo Nikitinski impulsus animadverti. Michaelis Rossii mira sollertia liber tam pulcher, ut est, aspectu foras datur. Catharinae uxoris meae industriae et ingenii acumini quantum in hoc libro confiendo debeam, exprimere non possum.

Dabam Moscoviae a.d. IX K.Oct., a.MMVII, Martini West die natali septuagesimo.

**SCRIPSIT ALEXIUS SCATEBRANUS
MOSCOWIENSIS**

DE TRIANGULIS

Valentiae, modo cum aestus essent immodici, partim ut vim caloris maximam fugerem, partim animi reficiendi gratia, in museum valentinum artium elegantium me abdidi. Aptiores pauci sunt loci, ut ibi vitam fugae solitudinique mandemus, quam musea provincialia, ubi minime saepe irruptionem facit turba peregrinatorum male otiosorum. Olim haec templa musarum ad urbem suam ornandam homines tam docti quam modestissimis moribus instituerunt. Nunc autem temporis musea provinciarum, quam ut opera artificiosa et fere divina cultores venustatis pie venerentur, potius materiam praebent uberrimam, ad vanitatem meditandam vitae humanae pariter atque artium ingenuarum. Magna enim copia imaginum non optimae notae animum inspicientium ita taedio afficiunt, ut perpaucā opera perfecta nos in eam mentem impellant, ut tum quam fugax sit tempus, tum quam maxima sit inopia ingeniorum sollicite contemblemur. Igitur, cum per aulas desertas solivagus ambularer, subinde non mediocrem admirationem mihi effecit imago *Sanctae Teresae*, ab *Iosepho de Ribera* confecta, pictore praeclarissimo, ut satius duxi de eo ipso tacere quam inepte disserere. Verumtamen, vix me reprimere possum, quin nonnulla verba de argumento occulto huius imaginis, fortasse imtempestive proferam.



Itaque haec pictura, quantum ad compositionem attinet, nisi omnino fallor, dividitur in quattuor triangula aequalis formae. Certe, si in tria triangula imago divideretur, nonne aptior compositio ad trinitatem illustrandam videretur? Sed non licet quadraturam in tria triangula paris magnitudinis formaeque aequalis secare. Neque vero nunc iterandum est, quam magni sit ponderis in trinitate parilitas partium. Ceterum cifra quattuor, ut videtur, figurative significat aeternitatem, qua de causa, ut aiunt, Hierosolyma caelestia quattuor moeniis saepiuntur.



Sinistra parte imaginis, triangulum lineatur inter lumina Sanctae Teresae, columbam volitantem, calvariam in librum positam. Primo obtutu, manifesto cernitur quam artē in actu scribendi coniungantur Spiritus sanctus, fides humana (fortasse non magis quam inflammatio animi), meditatio rerum caducarum. Nonne videmus ut Sancta Teresa nostra modo pennam anserinam cultello secuerit (posito in mensula iuxta manuscriptum), dubio procul ut primas lineas *De vita sua* exararet? Igitur sub signo Trinitatis, quae in saecula saeculorum quadruplicatur, ut fidem Christianam amplificaret, de rebus arcannis tam docte quam religiose magnum opus suum conscripsit Sancta Teresa.




Homines tamen senioris aetatis, et in delicias ambiguas procliviores, per infinitas voluptatis species frustra evagamur, quippe qui natura proni simus in nostram perniciem, ut non tantum verba exquisita et ab usu remota vestigemus, vero in ratiocinatione nimium subtili sane funiculum ex arena nectamus. Percipimus quidem, non ut per caliginem vel nebulam, sed meridiana luce clarius, quomodo formam trianguli quoque efficiant altera manus pennam tenens, altera manuscriptum, oculique venusti Teresae. Forsitan triangulum illud, quod vim Spiritus sancti effugit, et deliquum vanitatis evitat, obscure significet, quemadmodum, scriptio nihil citra aut gaudium aut taedium verba exarandi scribentibus afferat.

Scripsit Ansgarius Osloensis

CHRONOGRAMMATA RÖSSLERIANA

Peter und Paul

Gedenktag am 29. Juni



PETRVS ET PAVLVS

CONDITORES ECCLESIAE NOBILES

MISSIONARI STABILES

* * *

SIMON BARIONA PISCATOR E GALILAEA

PETRVS SVCCESSOR CHRISTI

PATER ECCLESIAE

CVSTOS CAELESTIS

* * *

S A VLV S APPELLATVS PAVLVS TARSENSIS

APOSTOLVS IESV

FUNDATOR VENERABILIS RELIGIONIS CHRISTIANAE

ATQVE MISSIONARIVS EGREGIVS

Johannes Meisenheimer

* 30. Juni 1873 in Griesheim am Main
 † 24. Februar 1933 in Leipzig

Johannes Meisenheimer war ein deutscher Zoologe.



IOANNES MEISENHEIMER
 QVI N QVI ES TRIGINTA ANNIS ANTE NATVS

MMXXIII

JOHANNES MEISENHEIMER wurde vor 150 Jahren geboren.

Meisenheimer studierte unter Eugen Korschelt an den Universitäten zu Heidelberg und Marburg. Er promovierte 1897 und habilitierte 1899 in Marburg. 1907 wurde er dort außerordentlicher Professor bis er 1909 eine Professur in Jena und 1914 schließlich den Ruf nach Leipzig als Nachfolger von Carl Chun erhielt. Sein Hauptarbeitsgebiet war die Entwicklungsgeschichte der Mollusken insbesondere der Pteropoden und Pantopoden.

Veröffentlichungen

- „Entwicklungsgeschichte der Tiere“, Leipzig 1908.
- „Die Weinbergschnecke Helix pomatia L.“, Leipzig 1912.
- „Geschlecht und Geschlechter“, Jena 1921/1930.
- „Die Vererbungslehre in gemeinverständlicher Darstellung ihres Inhalts“, Jena 1923.

Wisława Szymborska

* 2. Juli 1923 in Prowent
 † 1. Februar 2012 in Krakau

Wisława Szymborska war eine polnische Lyrikerin. Sie zählt zu den bedeutendsten Lyrikern ihrer Generation in Polen, wo ihre Gedichte zur Nationalliteratur gerechnet werden. Im deutschen Sprachraum wurde sie bereits früh durch die Übertragungen von Karl Dedecius bekannt und erhielt mehrere bedeutende Auszeichnungen. 1996 wurde ihr der Nobelpreis für Literatur verliehen. Seitdem ist ihr schmales Werk von rund 350 Gedichten auch international stark verbreitet und in mehr als 40 Sprachen übersetzt.

V V I S L A V V A S Z Y M B O R S K A
S C R I P T R I X O P V S C V L I A L T I O R I S D O C T R I N A E
E T P O E T R I A I N G E N I O S A
Q V I N Q V I E S V I G I N T I A N N I S A N T E N A T A

* * *

V V I S L A V V A S Z Y M B O R S K A
S C R I P T R I X O P V S C V L I E X I G E N T I S
I N T E R P R E S E X L I N G V A F R A N C I C A
A T Q V E V A T E S E X C E L L E N S P O L O N A
V I G I N T I L V S T R I S A N T E
V I N O N A S I V L I A S N A T A

M M X X I I I

WISŁAWA SZYMBORSKA,
 eine Essayistin und talentierte Dichterin,
 wurde vor 100 Jahren geboren.

* * *

WISŁAWA SZYMBORSKA,
 eine Essayistin, Übersetzerin aus dem Französischen,
 und exzellente polnische Dichterin,
 wurde am 2. Juli vor 100 Jahren geboren.

P R O C E S S V S E T M A R T I N I A N V S
C V S T O D E S S A N C T I P E T R I
C H R I S T I A N I N E C A T I

M M X X I I I

PROCESSUS und MARTINIANUS,
 die (Gefängnis-)Wächter des heiligen Petrus,
 wurden später als Christen getötet.



Processus und Martinianus

Gedenktag katholisch: 2. Juli

Processus und Martinianus waren gemäß der Legende Soldaten, die die Bewachung von Paulus und Petrus im Mamertine-Gefängnis zur Aufgabe hatten. Die beiden wurden demnach bekehrt und von Petrus getauft, wobei es in der Zelle kein Wasser zur Spendung des Sakramentes gab; deshalb klopfte Petrus mit seinem Stab auf den Steinboden, worauf ein Quell aus dem Felsen floss. Die Wärter halfen Petrus, aus dem Gefängnis zu entkommen. Nach der Begegnung mit Christus auf der Via Appia an der Stelle der Kirche Quo vadis? - eigentlich: Santa Maria in Palmis - kehrte Petrus zurück und akzeptierte seinen Tod durch Kreuzigung im Zirkus von Kaiser Nero an den Abhängen des vatikanischen Hügels. Processus und Martinianus wurden dann selbst verhaftet und getötet.

Quelle: [Processus - Ökumenisches Heiligenlexikon](#)

Guy de Maupassant

* 5. August 1850 auf Schloss Miromesnil in Tourville-sur-Arques, Normandie
 † 6. Juli 1893 in Passy, Paris

Guy de Maupassant war ein französischer Schriftsteller und Journalist. Maupassant gilt neben Stendhal, Balzac, Flaubert und Zola als einer der großen französischen Erzähler des 19. Jahrhunderts. Er ist auch einer der am häufigsten verfilmten Autoren.



G V Y D E M A V P A S S A N T
 S C R I P T O R B O N V S F R A N C I C V S
 B I S S E X A G I N T A Q V I N Q V E A N N I S A N T E
 V I T A C E S S I T
 A E T A T I S S V A E X L I I

* * *

V I G I N T I S E X L V S T R I S A N T E
 G V Y D E M A V P A S S A N T
 S C R I P T O R N O B I L I S F R A N C I C V S
 L V T E T I A E E X V I T A E G R E S S V S
 R . I . P .

M M X X I I I

Vor 130 Jahren starb der große französische Schriftsteller
GUY DE MAUPASSANT im Alter von 42 Jahren.

* * *

Der berühmte französische Schriftsteller
GUY DE MAUPASSANT starb vor 130 Jahren in Paris.
 Möge er in Frieden ruhen.

Niclas Gerhaert van Leyden

* um 1430 in Leiden

† 28. Juni 1473 in Wiener Neustadt



NICOLAVS GERHARDVS DE LEYDEN
SCVLPTOR STRENVVVS BATAVVVS
QVINGENTIS QVINQVAGINTA ANNIS ANTE
IV KAL. QVINTIL ES OBIT

MMXXIII

Der tüchtige niederländische Bildhauer
NICLAS GERHAERT VAN LEYDEN
starb am 28. Juni vor 550 Jahren.

Niclas Gerhaert van Leyden war ein niederländischer Bildhauer und Architekt, der vor allem im südlichen Mitteleuropa gewirkt hat. Mit seiner außerordentlich verräumlichenden und realistischen Skulpturauffassung wurde Niklas Gerhaert seit etwa 1470 im süddeutsch-österreichischen Raum über mehrere Generationen stilprägend. Berühmte Meister wie Michel Erhart und Veit Stoß führten seinen Stil weiter, und auch die Kunst Tilman Riemenschneiders ist ohne seine Neuerungen nicht denkbar.

Quelle: Wikipedia

Antonius von Kiew

* 983 in Ljubetsch, Kiewer Rus
 † 10. Juli 1073 in Kiew

Antonius von Kiew war einer der Gründer des Mönchtums in Russland sowie Gründer des Kiewer Höhlenklosters.



A N T O N I V S K I O V I E N S I S
 M O N A C H V S N O B I L I S
 N O N G E N T I S Q V I N Q V A G I N T A A N N I S A N T E
 VI IDV S I V L I A S E V I T A E G R E S S V S
 O R E T P R O I N C O L I S V C R A I N A E

 M M X X I I I

Antonius kam 983 als Antipas in Ljubetsch 50 km nordwestlich von Tschernihiw zur Welt. Als junger Mann lebte er in einer gegrabenen Höhle. Später reiste er zum Berg Athos, wo er im Kloster Esfigmenou das Klostergelübde ablegte und zu Ehren von Antonius dem Großen den Namen „Antonius“ annahm. Nachdem er in die Kiewer Rus zurückgekehrt war, lebte er bei einem Dorf im Stadtgebiet der heutigen Stadt Kiew in einer kleinen Höhle am Ufer des Dnepr. Bald schlossen sich ihm viele Mönche an, aus ihrer Gemeinschaft entwickelte sich das Kiewer Höhlenkloster. Antonius war ihr geistiger Führer, indem er den Mönchen das tiefe Gebetsleben von Athos vermittelte.

Nach dem Tod Wladimirs I. floh er vor dem Bruderkrieg, den dessen Söhne Jaroslaw der Weise und Swjatopolk führten, erneut nach Athos, kehrte jedoch bald darauf aufgrund eines Konflikts ins Kiewer Höhlenkloster zurück. Unter der Herrschaft von Isjaslaw I. ging er im Frühjahr 1069 nach Tschernihiw und gründete dort ein neues Höhlenkloster. Später kehrte er nach Kiew zurück und war 1073 an der Grundsteinlegung der Mariä-Himmelfahrts-Kathedrale des Klosters beteiligt. Er starb 90-jährig im Kloster und wurde in den nahen Höhlen der Mariä-Himmelfahrts-Kathedrale des Kiewer Höhlenklosters bestattet.

Quelle: Wikipedia

Alexander Schmorell

* 3. September ^{jul.} / 16. September ^{greg.} 1917 in Orenburg, Russland
 † 13. Juli 1943 in München-Stadelheim

Alexander Schmorell war Mitbegründer der Widerstandsgruppe „Weiße Rose“. In der russisch-orthodoxen Kirche wird er seit Februar 2012 als Neumärtyrer verherrlicht und daher auch Alexander von München genannt.



ALEXANDER SCHMORELL
 SO CIVS NOBILIS ROSAE ALBAE

ANTE QVATER VIGINTI ANNOS

E VI TA EGRESSVS

AETATIS SVAE XXXV

MMXXIII

Vor 80 Jahren starb ALEXANDER SCHMORELL,
 ein berühmtes Mitglied der „Weißen Rose“,
 im Alter von 25 Jahren.

Im November 1981 sprach die russische Auslandskirche *die Neumärtyrer Russlands während der NS-Periode* heilig. Eine Verherrlichung Alexander Schmorells wurde zwar nicht durchgeführt, aber er wird zusammen mit den Neumärtyrern Russlands als Märtyrer verehrt. Im Jahr 2007 beschloss die russisch-orthodoxe Kirche im Ausland die Heiligsprechung von Alexander Schmorell; der Festakt zur Heiligsprechung fand am 4. Februar 2012 in der Münchner Kathedralkirche statt. Der Gedenktag des hl. Alexander von München in der Liturgie ist der 13. Juli.


Quelle: Wikipedia

Kurt Huber

* 24. Oktober 1893 in Chur

† 13. Juli 1943 in München

Kurt Huber war ein deutscher Musikwissenschaftler, insbesondere Volksmusikforscher, Philosoph, Psychologe und intellektueller Widerstandskämpfer der Widerstandsgruppe „Weiße Rose“ gegen das nationalsozialistische Regime.



C V R T I V S H V B E R
M V S I C O L O G V S P H I L O S O P H V S
A C P S Y C H O L O G I A E P R O F E S S O R
S O C I V S R O S A E A L B A E
A N T E O C T O G I N T A A N N O S
O B T R V N C A T V S
A E T A T I S X L I X

M M X X I I I

Vor 80 Jahren wurde der Musikwissenschaftler, Philosoph und Psychologieprofessor
 KURT HUBER, ein Mitglied der „Weißen Rose“,
im Alter von 49 Jahren mit dem Fallbeil hingerichtet.

Wilhelm Heinrich Wackenroder

* 13. Juli 1773 in Berlin

† 13. Februar 1798 in Berlin

Wilhelm Heinrich Wackenroder war ein deutscher Dichter und Jurist. Er war Mitbegründer der deutschen Romantik.



GVLIELMVS HENRICVS VVACENRODER
 SCRIPTOR IVRIS PERITVS
 QVINQVIRES QVINQVAGINTA ANNIS ANTE
 BEROLINI NATVS

MMXXII

Der Schriftsteller und Jurist
 WILHELM HEINRICH WACKENRODER
 wurde vor 250 Jahren in Berlin geboren.

Während einer Sommerreise nach Bamberg, Nürnberg und Pommersfelden lernte Wackenroder die Landschaft Süddeutschlands und die Kunstwerke des „deutschen Europäers“ Albrecht Dürer kennen, über die er sich begeistert in Briefen äußerte, die bereits seine Stellung zur Frühromantik erkennen lassen. Unter solchen Eindrücken entstanden 1795/1796 die *Herzensergießungen eines kunstliebenden Klosterbruders*, eine Sammlung kunsttheoretischer Abhandlungen und teils fiktiver Biographien, in denen am Beispiel Michelangelos, Raffaels, Dürers unter anderem für eine sakrale Rezeption der Malerei geworben wird, da sie eine ähnlich kontemplative Wirkung auszuüben vermöge wie Andacht oder Gebet. Denn als Ausdruck freier Kreativität errichte die Kunst „einen neuen Altar zu Ehren Gottes“; gleichzeitig könne sie kraft ihres „göttlichen Beistandes“ die desperate Innerlichkeit auf Seiten des Publikums heilen. Neben Ludwig Tieck gilt Wackenroder als Begründer der romantischen Musikästhetik; beide Autoren glaubten an einen transzendenten Charakter der Musik, in deren ekstatischen Momenten der Mensch sich über sich selbst erhebe. Wackenroder hat nur ein schmales Œuvre hinterlassen; es handelt sich vornehmlich um theoretisierende Schriften.

Quelle: Wikipedia

Elise Fontane

* 23. April 1838 in Mühlberg
 † 14. Juli 1923 in Berlin-Weißensee

Elise Fontane ist die jüngste Schwester Theodor Fontanes. Mit ihren Recherchen und Hinweisen war sie maßgeblich an Fontanes Buch *Wanderungen durch die Mark Brandenburg* beteiligt.



ELISA FONTANE SOROR SOLVERS
THEODORI FONTANE SCRIPTORIS NOBILIS
VI GINTI LVSTRIS ANTE
P RIDIE IDVS IVLIAS OBIT
A ETATIS LXXXV

* * *

ELISA FONTANE SOROR STRENVA
THEODORI FONTANE SCRIPTORIS EXCELLENTIS
ANTE QVINQVIAS VIGINTI ANNOS
P RIDIE IDVS IVLIAS
BEROLINI EX VITA EGRESSA

M M X X I I I

Am 14. Juli vor 100 Jahren starb ELISE FONTANE,
 die tüchtige Schwester des berühmten Schriftstellers THEODOR FONTANE,
 im Alter von 85 Jahren.

* * *

ELISE FONTANE starb am 14. Juli vor 100 Jahren in Berlin.
**Dem exzellenten Schriftsteller THEODOR FONTANE war sie eine
 tüchtige Schwester.**

Helga Deen

* 6. April 1925 in Stettin

† 16. Juli 1943 im Vernichtungslager Sobibor



A N T E O C T O G I N T A A N N O S
XVII KAL. SEXTILES
HELG A DEEN
A D V L E S C E N T V L A INNOCENS
I N C A R C E R E EXTINGC TIONIS NE C ATA
A E TAT I S XVIII

M M X X I I I

Am 16. Juli vor 80 Jahren wurde das unschuldige 18jährige Mädchen
HELGA DEEN in einem Vernichtungslager ermordet.

Helga Deen war eine deutsche Jüdin, die mit 18 Jahren von den Nationalsozialisten ermordet wurde. Ihre Aufzeichnungen erschienen als Buch. Ihr „Tagebuch“ wurde von einigen Freunden aus dem Lager geschmuggelt und später ihrem Geliebten Kees van den Berg überreicht. Dieser hielt es ein Leben lang versteckt. Nach seinem Tod entdeckte van den Bergs Sohn Conrad unter den Sachen seines Vaters eine alte braune Damenhandtasche mit Briefen, Postkarten sowie einem grau-grünen Schulheft mit der Aufschrift „Chemie H. Deen“. Das unscheinbare Heft enthält das Tagebuch seiner großen Jugendliebe – Helga Deen. Ihre im Oktober 2004 im Regionalarchiv Tilburg der Öffentlichkeit vorgestellten Aufzeichnungen (21 Seiten), gerichtet an ihren Geliebten, über das Leben im holländischen Lager Vught wurden wiederholt mit dem Tagebuch der Anne Frank verglichen. Unter dem Titel „Wenn mein Wille stirbt, sterbe ich auch. Tagebuch und Briefe“ erschien im Rowohlt Verlag ein Buch über Helga Deen.

Quelle: Wikipedia

**HAEC CHRONOGRAMMATA
ARTIFICIOSE CONFECIT
TOBIAS RÖSSLER**

**PELARGOLOGIA
SIVE
HISTORIA CICONIARUM**



1. ONOMASTICON CICONIAE POLYGLOTTUM
 2. SYMBOLA THESAURI LINGuae LATINAe CICONINA
 3. QUID PLINIUS MAIOR REFERAT DE CICONIIS
 4. QUID OVIDIUS NARRET DE ANTIGONES IN CICONIAM MUTATIONE
 5. QUID PHAEDRUS NARRET DE VULPE ET CICONIA
 6. DE FAMILIA CICONIIDARUM
 7. DE CICONIA ALBA

1. ONOMASTICON CICONIAE POLYGLOTTUM

Latinē *cicōnia*, -ae f. zool.: *Ciconia alba*, *Ciconia ciconia*

italicê cicogna bianca **hispanicê** cigüeña blanca **catalanicê** cigonya blanca **lusitanicê** cegonha-branca **francogallicê** cigogne blanche **dacoromanicê** barză albă, cocostârcul alb

graecē ὁ πελαργός **neograecē** λευκοπελαργός

anglicē white stork **batavicē** ooievaar **theodiscē** (weißer) Storch **sueticē** vit stork **danicē** hvid
stork, almindelig stork **norvegicē** stork

russicē Бéль аист **alborussicē** Бúсл бéлы **polonicē** *bocian biały* **bohemicē** *čáp bílý* **serbo-croaticē** *bijela roda* **slovenicē** *štorklja* **ucrainicē** Лелéка бíлий **bulgaricē** щъркел

lituanicē *baltasis gandras* **lettonicē** *baltais stārkis*

albanicē lejlek armenicē uwı̄hly

sanskritē वक्तः **hindicē** सारस **marathicē** झाडाची साल **panjabicē** ਪੰਜਾਬ

hungaricē fehér gólya **finnicē** kattohaikara **aestuonicē** valqe-toonekurg

vasconicē zikoina zuria, amiamoko zuria

turcicê *leylek*

arabicê طائر اللقب **hebraicê** חסידה

نئو پرسیکہ

sinicē 鶴, 鶴

coreanicê 홍부리황사

vietnalmice co

esperantice cikonto

2. SYMBOLA THESAURI LINGuae LATInAE CICONINA

cicōnia, -ae f. [orig. *inc.*, *similitudine sonorum conecti videtur cum nomine Tusco Cicu, Cicunia. Th.*] ISID. orig. 12, 7,16 -ae vocatae a sono quo crepitant, quasi cicamiae. *formae*: *legitur c i c o n e a* : MARCELL. med. 8, 47 GLOSS. III 360, 45. *praenest*. *c o n e a* : PLAVT. Truc. 691 Praenestinis conea est -a (VLT. SYLL.gramni. IV 263 et in nominibus invenitur *aphaeresis* ut Plautus dixit a Praenestinis coneas pro ciconias appellari). *c ī c ū n - metitur* ANTH.762,29. *de forma cicōnia* v. Gröber, Archiv 1 (1884) 545. *legitur inde a* PLAVTO. [it. *cicogna*, francog. *vet. ceogne*, hisp. *cigueña*. M.-L.]

1 *nomen avis advenae (de qua v.* PLIN.nat.10,61—62 SOL. 40,25—27 AMBR. hex. 5,16,53—55): CHAR.gramm.I 57 ciconia πελαργός. AMBR.hex.5,16,55 πελαργός enim ciconia dicitur. GLOSS. πελαργός. V353,43 storc (anglosax.). VARRO Men. 272 at nos caduci naufragi ut ciconiae. rust. 2,1,27 neque . . . hirundines et ciconiae . . . in omnibus terris pariunt (*cf.* PLIN.nat. 10,77 Larium lacum.. .ad quem ciconiae non permeant. 10,78 in Fideneate agro iuxta urbem ciconiae nec pullos nec nidum faciunt). VARRO rust. 3,5,6 pullos faciunt in agro ciconiae. CIC. fin. 3,63 formicae apes ciconiae aliorum etiam causa quaedam faciunt. HOR.sat.2,2,49 tutoque ciconia nido, donec vos auctor docuit praetorius (SCHOL. *ad l.* Asellius . . . usum comedendarum ciconiarum primus invenit. alii Sempronium volunt. *ibid.* esui esse . . . pullos earum. PORPH. *ad l. de re cf.* PLIN.nat.10,60 ciconias magis placere quam grues. CARM.Porph.Hor.sat.2,2,50 ciconiarum Rufus iste conditor. *ibid.* ciconiarum populus ultus est mortem). OV.met.6,97 *de Antigones in ciconiam permutatione*. PHAEDR.1, 26 *fabula de vulpe et ciconia*. SEN.epist.108,29 in eodem prato bos herbam quaerit, canis leporem, ciconia lacertam. PETRON.55 ciconia etiam, grata peregrina hospita (AVG. in psalm. 58 serm. 1,10 annuae uostrae hospites sicut ciconiae). PLIN.nat.1,10,31. 1,29,14—40 *inter remedia* | 3- (*cf.* 1,30,8—53. 29,105 contra venena omnia ciconiarum ventriculus valet. 29,128 ciconiae pullum qui ederit negatur annis <multis> continuis lippiturus [*cf.* MARCELL. med. 8, 47]. PLIN.nat.30,108 ventriculus ciconiae ex vino decoctus. PELAGON.18 CHIRON 965 v. *infra l.* 75 VEG.mulom.1,17,15). PLIN.nat.8,98 ciconia origano, hedera, apri in morbis sibi medentur. 10, 63 ciconiae nidos eosdem repetunt, genetricum senectam . . . educunt (AMBR.hex.5,16,55 Romanorum usu pia avis vocatur ciconia. *ibid.* relatio gratiarum [*i.* ἀντιπελάργησις] ciconiae vocabulo nuncupatur. *narratur quomodo parentes alant atque foveant*. EVSTATH. Bas. Hex. 8, 5 p. 750 D liberalitas . . . quae senibus ciconiis a iunioribus exhibetur). PLIN.nat.10,111 ante se pedes iaciunt ut ciconiae, grues. 18, 314 post ciconiae discessum. IVV. 14, 74 serpente ciconia pullos nutrit et . . . lacerta. SVET.frg. p.251 ciconiarum *est* crotolare (ANTH.762,29 glottorat immenso maerens ciconia rostro). ARNOB.nat.4,24 ut ciconias . . . ex ovis esse progenitos quodam¹ deos. 7,16 cur non vulturios, aquilas, ciconias *deis mactatis*. CAPITOL. Aur. 13, 6 si ipse lapsus ex arbore in ciconiam verteretur . . . atque ex sinu

1 Nonne potius: quosdam? cf. ARNOB.nat.4,24,3 Latin Library (https://www.thelatinlibrary.com/arnobius/arnobius_4.shtml): Numquid a nobis dicitur, ut ciconias, ut palumbes ex ovis esse progenitos quosdam deos?

ciconiam emisisset. HIER. in Ioel 3,1 *sqq.* p. 207 alii colerent Iovem, alii . . . ibin, noctuas, accipitres et ciconias. VVLG. Ier. 8,7 turtur . . . et ciconia custodierunt tempus adventus sui. AVG. in psalm. 90 serm. 1,5 ciconias videmus extra nidos suos nec cognoscimus utrum fetus habeant. POL.SILV. nom. anim. chron. I p. 543, 26 *inter nomina volucrum*. EVSTATH. Bas. hex. 8,5 p. 950 ciconiae . . . non procul distant ab his quibus rationalis collata prudentia est. *ibid.* de ciconiis *una cum cornicibus proficiscentibus*. CLAVD.MAM.anim. p.71,13 nidos ciconiae atque hirundines post annum revisunt. CASSIOD. in psalm. 101,7 pelicanus . . . ciconiis corporis granditate consimilis. *nota:* PERS.1,58 Iane, a tergo quem nulla ciconia pinsit (SCHOL. *ad l.* per ciconiam reprehensores malos significamus. *ibid. cod. Bern.* ciconia dixit quia manus solent formare derisiones digitis in modum ciconi<ni> rostri plicatis, latenter derident recitantes). HIER.epist.125,18 ciconiarum deprehendes post te colla curvari. in Soph. praef. p. 671—2 numquam post tergum meum manum curvarent in ciconiam.

2 nomen loci Romae in regione nona: REG. urb. p. 13,11 ciconias nixas (cf. CVRIOS. urb. reg. 9 p. 12,11). CORP. VI 1786,4 de ciconiis ad templum cupas referre. 1785,9 professionariis de ciconiis (v. *Hülsen, PW. III 2543*).

3 nomen machinarum (cf. GLOSS.II 100,34 πελαργός μηχανή): *a quae adhibetur in sulcis fodiendis:* COLVM. 3,13,11—12 *describitur* (v. Olck, PW. III 2512; DAREMBERG-SAGLIO II 1171). *b instrumentum hortulanum quo hauriunt aquas:* ISID. orig. 21,15,3 telonem Hispani ciconiam dicunt, quod imitetur eiusdem nominis avem. GLOSS. 349,1 κτηλώνειον φρέατος ciconia, telleno.

deriv.: ciconinus, ciconiolus (ciconium? cf. cicocia).

cicōnīnus , -a, -um *a* ciconia. SIDON. epist. 2,14,2 usque ad adventum hirundineum vel -um. SCHOL. Pers. 1, 58 *cod. Bern.* v.58. *subst.* c i c ō n ī n a , -ae, *fere i. q.* **ciconia:** CHIRON 965 ciconinas iam paene volantes in ollam . . . mittis (cf *l.* 30*sqq.*). Wulff.

cicōniolus 5 -a, -um *a* ciconia. Misc. Tir. p. 65,27 cor ciconiolum (cigañiolo *cod.*, *corr. Schmitz*).

?**ciconium** ferola (*i. ferula herba*) GLOSS. III 544,53 (cf 544,29 ciconio, *cuius syn. in cod. fere evanidum*). *addendumne cicomon?* fort. *deriv. de ciconia?*



3. QUID PLINIUS MAIOR REFERAT DE CICONIIS

(PLIN.nat.10,60-62 = §30 fin. - 31)

... Cornelius Nepos, qui Divi Augusti principatu obiit, cum scriberet turdos paulo ante coeptos saginari, addidit ciconias magis placere quam grues, cum haec nunc ales inter primas expetatur, illam nemo velit attigisse.

61 (§31) Ciconiae quonam e loco veniant aut quo se referant, inconpertum adhuc est. E longinquo venire non dubium eodem quo grues modo, illas hiemis, has aestatis advenas. Abiturae congregantur in loca certa comitataeque sic, ut nulla generis sui relinquatur nisi captiva et serva, ceu lege predicta die recedunt. Nemo vidit agmen discedentium, cum discessurum appareat; nec venire, sed venisse cernimus. Utrumque nocturnis fit temporibus, et quamvis ultra citrave pervolent, numquam tamen advenisse usquam nisi noctu existimantur.

62 Pythonos comen vocant in Asia patentibus campis, ubi congregatae inter se commurmurant eamque, quae novissima advenit, lacerant atque ita abeunt. Notatum post Idus Augustas non temere visas ibi. Sunt, qui ciconiis non inesse linguam confirmant. Honos iis serpentium exitio tantus, ut in Thessalia capital fuerit occidisse eademque legibus poena, quae in homicidam.



4. QUID OVIDIUS NARRET DE ANTIGONES IN CICONIAM PERMUTATIONE (OV.met.6,93-97)

Pinxit et **Antigonem** ausam contendere quondam
cum magni consorte Iovis, quam regia Iuno
in volucrem vertit: nec profuit Ilion illi
Laomedonve pater, sumptis quin candida pennis
ipsa sibi plaudat crepitante **ciconia** rostro.

5. QUID PHAEDRUS NARRET DE VULPE ET CICONIA (PHAEDR.1,26)

Nulli nocendum: si quis vero laeserit,
Multandum simili iure fabella admonet.
Vulpes ad cenam dicitur **ciconiam**
Prior invitasse et illi in patina liquidam
Posuisse sorbitionem, quam nullo modo
Gustare esuriens potuerit **ciconia**.
Quae vulpem cum revocasset, intrito cibo
Plenam lagonam posuit: huic rostrum inserens
Satiatur ipsa et torquet convivam fame.
Quae cum lagonae collum frustra lamberet,
Peregrinam sic locutam volucrem accepimus:
,Sua quisque exempla debet aequo animo pati‘.



6. DE FAMILIA CICONIIDARUM



Ephippiorhynchus asiaticus

<https://de.wikipedia.org/wiki/St%C3%B6rche>

Ciconiidae sunt unica familia **Ciconiiformium** et complectuntur sex genera et viginti species. Quae aves praeter Antarcticam inveniuntur in omnibus terris continentibus. Eadem insignes sunt collo longo, cruribus longis, rostro magno, saepe longitudinali. Omnes Ciconiidae sunt carnivorae, sed nutritio pro singulis speciebus est varia. Ciconiides Europae notissima est **Ciconia ciconia** sive **Ciconia alba**, aliae aves eiusdem gregis bene nôtae sunt e.g. **Leptoptilos** et **Mycteria ibis**.

DISTRIBUTIO SYSTEMATICA

subphylum: **Vertebrata**

superclassis: **Gnathostomata**

series: **Tetrapoda**

classis: **Aves**

ordo: **Ciconiiformes**

familia: Ciconiidae

Taxonomus ordinis: [Bonaparte](#), 1854

Taxonomus classis: [Sundevall](#), 1836

Notae insignes

Ciconiidae sunt aves magnitudinis mediae aut maxima. Magnitudo earum pertingit a 75cm (*Ciconia abdimii*) usque ad 150cm (*Ephippiorhynchus senegalensis*, *Leptoptilos crumeniferus*), pondus ab 1kg (*Anastomus*) usque ad 9kg (*Leptoptilos crumeniferus*). Insignia sunt crura longa longumque collum, cum cauda sit perbrevis. Similes sunt ardeis consanguineis, sed illis sunt plerumque compactiores et ponderosiores.

Rostrum semper est magnum, sed formae valdē variae. Rostrum longum et angustum non invenitur nisi in genere *Ciconiae*. Sed in *Ephippiorhyncho senegalensi* et *Ephippiorhyncho asiatico* et in *Jabiru mycteriā* magnum et leviter sursum incurvatum, in *Leptoptilo crumenifero* rostrum est permagnum et voluminosum, et per totam vitam crescit usque ad longitudinem 35cm; quod rostrum videtur praecipue adhiberi ad competitores nutritrios a cadaveribus fugandos. *Mycteria ibis* eiusque aves consanguineae rostro sunt leviter deorsum incurvatum, in cuius apice sunt cellulae sensoriae, quae utiles sunt ad nutrimentum in aquā turbidā investigandum. *Anastomi* sunt utroque in latere lacunā instructi inter rostrum superius et inferius sitā; eorum rostrum utile est ad testas cochlearum aperiendas.

In pede *Ciconiidarum* primus digitus est recurvatus et ceteri tres procurvati (pes *anisodactylus*). Membranae interdigitales in basi digitorum non inveniuntur nisi degeneratae. Cruribus longis efficitur, ut avis possit lentē gradi. *Ciconiidae* raro tantum se movent per brevia spatia etiam gradibus citatis.

Alae sunt magnae et latae. Quae sunt bene aptae ad aerivolatum, qui raro tantum interrupitur pulsibus alarum lentis. Cum sint aperturā alari 320 cm, *Leptopili* inter aves non superantur nisi a nonnullis *Diomedeidis* et *Pelecanis*.

Leptoptili ita ut *ardeae* volant collo retracto, cum imago volatica omnium *Ciconiidarum* ceterarum insignis sit collo erecto, quo etiam homines ornithologiae imperiti *Ciconiidas* clarē distinguere sciunt ab *Ardeis*. *Ciconiidae* si gregatim volant, nullas formant formationes. Colores pennarum sunt nigri et albi, qui pro specie sunt variē distributi. Partes pennarum nigrae saepe sunt fulgore metallico. Qui fulgor tempore nuptiali augetur, sed etiam pennae albae magis lucescunt. Eo magis hoc fit in partibus non pennatis. Multae species facie sunt prorsus non pennatā, in *Leptopilis* partes nudae pertingunt usque ad collum inferius. *Mycteria ibis* eiusque consanguineae eo se protegunt a pennarum maculatione, si in limo quaerunt nutrimenta; *Leptopili* capita sua infigere possunt in cadaverum partes infimas sine ullā maculatione aut afflictione pennarum.



Mycteria ibis

In omnibus ferê speciebus *Ciconiidarum* appareat levis dimorphismus sexualis eo quod mares sunt paululo maiores, sed insignis est hic dimorphismus in *Ephippiorhyncho senegalensi* et in *Ephippiorhyncho asiatico*.



Ciconia nigra

Contra opinionem *Ciconiidae* non sunt vocis expertes. Quaedam aves huius familiae crocitant aut quiritant aut mugiunt. Species generis, q.e. *Ciconia* sibilant; qui soni insigniter eduntur a *Ciconiâ nigrâ*, multo minus a *Ciconiâ albâ*. Notior quam illi soni est glottoratio, quae insignissima est in *Ciconiâ albâ*.

Distributio et habitatio

Ciconiidae vivunt in latis partibus Eurasiae, Africae, Australiae, Americae Meridionalis; e contrario in Americâ Septentrionali inhabitant tantummodo partem meridionalem extremam. Pleraeque species vivunt in regionibus tropicis; tres tantum species vivunt in zonis moderatis.

Ciconiidae gradu valdê vario egent aquâ et habitationibus temporariê umidis. E.g. *Mycteria ibis* et *Anastomî* per totam vitam prope ripam inveniuntur, cum *Leptoptili* et *Ciconiae abdimii* saepe versentur procul ab aquâ in zavanâ apertâ. Sed pleraeque species vivunt saltim prope paludes et lacûs et ripas fluminum.

Cum *Ciconiarum albarum* migratio sit tam illustris, mirum est plerasque aves familiae *Ciconiidarum* non esse aves migratorias. Quae manent prope *regiones incubandi* et extra tempus nuptiale circumvagantur in spatiis relativê parvis. E contrario *Ciconia alba* est typica avis migratoria spatii longi. Nonnullae enim *Ciconiae albae* populationum boreo-europaearum quotannis volant per 20.000 km, ut perveniant in sedes hiemales africanas et revertantur in sedes nuptiales. Etiam *Ciconia nigra* et *Ciconia boyiana* prolem edunt in zonâ moderatâ et hieme migrant in regiones tropicas. At *Ciconia abdimii* est tropica species, sed tamen est avis verê migratoria: Quae prolem curat in steppis et semidesertis in septentrione aequatoris sitîs et hiemat in zavanis orientali- et austro-africanis.

Modus vivendi

Activitas. *Ciconiidae* sunt aves *diurnales*. Tantummodo *Mycteria americana* etiam tempore nocturno observata est piscari, ceterae species nocte quiescunt. In regionibus tropicis *Ciconiidae* maximê activae sunt horis matutinis atque vespertinis, cum in regionibus moderatis activitas distributa sit per totum diem.

Multae *Ciconiidae* vix patientes sunt condicionum tempestatis variabilis. Pluviâ atque frigore effici potest, ut e.g. *Ciconia alba* desistat a prole suâ colendâ. Quod ciconiae interdum uno crure stant, explicatur ex frigore evitando, quia alterum crus ad pennas appositum calefit, ut minus cutis non pennatae frigori exponatur. Fortasse eodem fine rostrum interdum infigitur pennis colli.

At in plerisque biotopis *Ciconiidarum* fervores sunt molestiores quam frigora. Dilatio alarum, erectio pennarum, concacatio pedum priorum sunt rationes, quibus fervores nimii devitantur.



Ciconiae albae et nigrae quotannis migrant per longa spatia ad sedem hiemalem.

Nutritio. *Ciconiidae* sunt carnivorae. Quamquam singulae species nutritione inter se valdē differunt, plerisque *Ciconiidis* nutrimenta principalia sunt pisces, ranae, mammalia rodentia, insecta.

Ciconia alba et *Ciconia episcopus* earumque consanguineae generis *Ciconia*, exceptā *Ciconiâ abdimii* sunt **opportunistiae nutritionis*. Licet fide populari *Ciconia alba* dicatur se maximam partem nutrire ranis, reverā eadem amphibia parvam tantum partem praedae huius ciconiae sunt. Maiorem partem faciunt pisces, gyrini, serpentes, lacertae, arvicolae, talpae, criceti, insecta maiora – e.g. nōtum est *Ciconias albas* in sedibus hiemalibus africanis devorare locustas. Traduntur quidem *Ciconiae* praedari mustelas et capellas et cattas, sed hoc fit rarissimē. Tales aves solent lentīs gradibus arrepere ad praedam et deinde rostro rapidissimē impellunt.

Simili modo se nutriunt *Ephippiorhynchi* et *Jabiru mycteria*, sed praecipuē bestiis praedandis maioribus. Praeda ipsius *Jabiru mycteriae* assequitur magnitudinem crocodili iuvenilis. *Leptoptilos javanicus* praecipuē degluttit pisces. *Ciconia abdimii*, *Ciconiae albae* consanguineus, aliter se nutriunt. Nam eadem est avis zavanae apertae, cui aqua non directē est accessibilis. Eius nutrimenta sunt ferē nihil nisi insecta, praesertim locustae et erucae papilionum. Pro eo, ut arrepat ad bestiam praedandam, ad eandem captandam et devorandam celerrimē se movet.

Mycteriae specialiter instructae sunt ita, ut venentur in aquis vadosissimis, quae saepe sunt limosae et turbidae. Quia earum oculi in tali aquâ nihil possunt agnoscere, rostro submerso se movent per aquam. Pedibus limum peragitant, ut excitent bestias praedandas. Talis bestia si rostrum tangit, statim a *Mycteriâ* corripitur. Nutrimenta sunt pisciculi, cancri, insecta aquatica. Huius generis ornithologici species delicatissima est *Mycteria cinerea*, quae in *mangroviis effodere solet *Periophthalmos*.



Periophthalmus barbarus

Anastomi ferê nil devorant nisi cochleas aquáticas, praeſertim **Pomaceas**. Aliis bestiis vescuntur ferê numquam. Testa a cochleae parte molli absolvitur sub aquâ. Rostro superiore cochlea versus fundum premitur, cum acre rostrum inferius invadat in operculum et musculum dissecat, quo cochlea in testâ retinetur. Deinde cochlea ex testâ tracta degluttitur. Falso autem contendit testa cochleae in aperturâ rostri ita aperiri ut nux in nucifrangibulo.

Alio modo vescuntur **Leptoptilos crumeniferus** et **Leptoptilos dubius**, qui devorant cadavera. Eorum rostra non sunt apta ad cadavera aperienda; itaque hic labor ab aliis bestiis suscipitur exanclandus. Deinde caro ex cadavere trahitur, frusta maximum unum chiliogrammum pendentia integra deglutiuntur. De cadavere *Leptoptili* concertant cum vulturibus et hyaenis et canibus aureis. Eorum rostrum ingens praecipue est instrumentum, quo arceant competitores. Sed *Leptoptili* non solum cadavera deglutiunt – ita ut aliae *Ciconiidae* praedantur etiam pisces et amphibia et animalia rodentia. In Africâ *Leptoptili* a tergo opprimunt colonias *Phoenicopterorum*, ut praedentur ova et pullos, interdum etiam *Phoenicopteros* adultos. Quos eo interficiunt, quod capita eorum aquis submergunt. *Phoenicopteri*, si in propinquō diutius versantur *Leptoptili*, interdum totâ coloniâ relictâ aufugiunt.

Prolis propagatio. Complures species *Ciconiidarum* prolem curant in coloniis, quae maximum complura milia individuorum complectuntur. Tales species sunt *Anastomus*

spec. et *Mycteria ibis* et *Leptoptilus spec.* et *Ciconiae abdimii*. Etiam *Ciconia alba* nonnullaeque species aliae generis *Ciconiae* prolem curant in coloniis laxis, in quibus ciconiae propinquae plerumque inter se negligunt. Interdum inveniuntur coloniae permixtae, in quibus *Ciconiae* prolem curant unâ cum *pelicanis* et *Ibidibus* et *Ardeis* aut aliis speciebus *Ciconiidarum*.



ovum ciconiae

Praeter has aves incubatrices coloniales inter *Ciconiidas* sunt etiam aves strictê solitariae, e.g. *Ciconia nigra* et *Ephippiorhynchus senegalensis*. *Ciconiidae* solent nidos facere in arboribus. Tantummodo *Ciconia maguari* nidum facit ad planam humum, omnes *Ciconiidae* ceterae nidos faciunt in locis altis, *Ciconia alba* interim saepius quam arbores inhabitat tecta aedificiorum.

Inter aves incubatrices coloniales mares postquam advénit regionem prolis propagandae primo pugnando assequitur territorium; interdum pugnae fieri possunt graviores. In speciebus nonnullis quotannis fiunt nova paria. Sed solitariae species per totam vitam colunt unum idemque conubium.

Saepe non est necessarium novum nidum aedificare. Species solitariae sic quoque quotannis utuntur eodem nido, species incubatrices coloniales occupant nidum intra coloniam situm, sed raro eundem nidum ac anno proximo praeterito. Tamen semper novae materiae recentes nido adduntur. Nidus ciconiarum maximam partem constat ex ramis et termitibus arborum. Saepe nidus ciconinus etiam ab avibus minoribus adhibetur ad sedem suam instruendam; quae proprios nidos construentes nidum ciconiarum confirmant propriis materiis.

Spatium temporis, quod praeterit a fecundatione usque ad ovorum partum, est ferê biduum. Spatiis 2 vel 3 dierum plerumque minimum tria vel maximum quinque ova pariuntur. Óvi longitudo pertingit a 5,5 cm (*Ciconia abdimii*) ad 8,5 cm (*Leptoptilos crumeniferus*), pondus a 58 usque ad 146 g. Óvis per 25-38 dies ab ambabus ciconiis coniugibus incubatur. Pulli exclusi solent gerere vestem plumarum albam, pulli *Ciconiae maguari* nigram. Pulli inter se non rixantur, itaque saepe tota proles servari potest. Et mas et femina curant nutrimenta comparanda. Post 50 vel maximum 100 dies ciconiae iuveniles possunt volare.

Aetas ciconiarum maxima potentialis superat viginti annos. *Ciconia alba* anulata aetatem assecuta est 33 annorum. In captivitate ciconiae possunt fieri etiam vetustiores; aetas ciconiae maxima quae usque nunc inventa est complectitur 48 annos.



Ecce pulli *Ephippiorhynchi*



***Ephippiorhynchi senegalenses* in deltâ fluminis Okawango**



En *Mycteriam ibin* piscem captantem

Phylogenetica

Ciconiidae fossiles inventae vetustissimae exortae sunt aetate *oligocaeni*. Omnium nōtarum specierum vetustissima est *Palaeoephippiorhynchus dietrichi*, qui fossilis inventus est in Aegypto; num *Eociconia sangequanensis* etiam vetustior (eoacenum, China) reverā sit *Ciconiides*, non est certum. In *mioceno* iam exorta sunt genera recentia *Ciconiarum* et *Leptoptilorum* et *Ephippiorhynchorum*.

Systematica

Systematica *Ciconiidarum* constituta est a *M. Philippo Kahl*, qui annis septuagenariis definivit compositionem familiae ex generibus quae sequuntur:

- *Anastomus*
 - *A. lamelligerus*
 - *A. oscitans*
- *Leptoptilos*
 - *L. javanicus*
 - *L. crumeniferus*
 - *L. dubius*
- *Mycteria*
 - *M. americana*
 - *M. cinerea*
 - *M. ibis*


- *M. leucocephala*
- ***Ephippiorhynchus***
 - *E. senegalensis*
 - *E. asiaticus*
 - ***Jabiru***
 - *J. mycteria*
- ***Ciconia***
 - *C. nigra*
 - *C. abdimii*
 - *C. episcopus*
 - *C. microscelis*
 - *C. stormi*
 - *C. maguari*
 - *C. ciconia*
 - *C. boyciana*



Anastomus oscitans




Par Ciconiarum albarum unâ cum pullo in nido versans



Leptoptilos crumeniferus



Jabiru mycteria



En Ciconiam microscelidem balneantem

Ciconiae et homines

Relationes mutuae



Ecce *Ciconia alba* in cauponae autocineticae areâ stativâ versans !

Homines cum quibusdam speciebus ciconiarum iam diu bene concordantur.

In Europâ *Ciconia alba* libenter spectatur in tectis aedificiorum, similiter ac in Africâ *Ciconia abdimii* et in Indiâ *Mycteria leucocephala*. In Europâ fama popularis fert *Ciconiam albam* afferre infantulos. Medio aevo notio „*ciconia viri*“ fuit circumlocutio *membri virilis*. In multis Europae regionibus post partum infantuli figura ciconiae domui praeponitur.

Ciconia abdimii in Africâ etiam appellatur *ciconia pluvialis*, quia eius adventus in regionibus proliis propagandae congruit cum tempore pluvioso. **Fides conexûs causalis** in nonnullis regionibus tam firma est, ut in vicis circa Lacum Tšad sitis compages construuntur, quae a ciconiis adhibentur ad nidos faciendos.

Minores aestimantur *Leptoptili*. Qui magnis partibus cutis suaे nudis dicuntur foedi esse, praeterea magnam partem vivunt cadaveribus et petunt purgamentaria urbium africanarum atque asiaticarum, ut ibi quaerant nutrimenta. *Calcuttae* in urbe refertur adhuc in saeculo 19. *Leptoptilos dubios* cadaveribus perfructos esse in viis iacentibus. Nonnullis in regionibus *Ciconiidae* etiam comeduntur. Romae in urbe antiquâ *Ciconia alba* adhuc habebatur pro cibo delicato (cfr supra p.45 PLIN.nat.10,60 fin.: Cornelius Nepos). Hodie adhuc comeduntur *Mycteria cinerea* in Sumatrâ et *Ciconia maguari* in Venetiolâ.



***Leptoptilos dubius* stat in Assami regionis Indicae acervo purgamentorum.**



Figura ciconiae symbolum nativitatis.
Quae invenitur in regione Salisburgi Austriacensi.

Pericula et protectio ciconiarum



Ciconia boyciana

Variae *Ciconiidarum* species dicuntur periclitari, ne emoriantur. In Europâ et Africâ et Americâ populationes sunt relativê securae, quia in Europâ et Africa *Ciconiidae* solent aestimari, in Americâ per magnas regiones passim sunt distributae. Aliter res se

habet in Asiâ, ubi pleraequae species Ciconiidarum sunt exortae. Ibi multae species variis de causis periclitantur, ne emoriantur.

Populatio *Ciconiae albae* a.2009 aestimata est habere 500.000 - 520.000 individuorum et non dicitur periclitari. E contrario putantur vehementer periclitari hae species quae sequuntur:

- ***Ciconia boyciana***: Hodie haec species incubat in oriente *Sibiriae* extremo et hiemat in oriente *Chinae*. In Iaponiâ eadem a.1970 emortua est, in Coreâ a.1977. Etiam in regionibus, quas hodie inhabitat, *Ciconiae boyciana* periclitantur silvis caedendis et paludibus siccandis et pascationibus immoderatis.
- ***Ciconia stormi***: Haec parvâ tantum in regione vivit *Sumatrae* et *Borneonis*. Eadem deminuitur praecipue silvae pluviosae destructione, cuius populatio *Ciconiarum stormi* annis nonagenariis aestimata est complecti pauciora quam 300 individua.
- ***Leptoptilus dubius***: Haec species velocitate dramaticâ deminuta est. Quae saeculo 19. fuit frequentissima. Quaedam colonia harum avium in *Myanmar* sita traditur complexa esse aliquot miliones individuorum, *Calcuttae* in urbe *Leptoptili dubii* incubabant in tectis domorum. Hodie haec species non iam invenitur nisi in Civitate Indiae foederali *Assam*. Una ex causis subitae deminutionis videtur fuisse *decisio arborum*, in quibus hae aves incubare solebant, aliae causae sunt ignotae.

Helvetia

Quadragenariis annis saeculi proximi praeteriti exeuntibus nulla iam populatio ciconiarum in Helvetiâ vixit. Societas autem, q.d. *Gesellschaft Storch Schweiz Maximiliano Bloesch* dirigente comparavit ciconias iuveniles ex *Algeriâ* et coepit ex oppido *Altreu* (in cantone *Solothurn*) novas colonias ciconiarum deducere et regiones habitatorias protegere. Pro singulis cantonibus Helvetiae ablato nidi ciconiarum perfecti punitur multâ maximum 10.000 francorum.

7. DE CICONIA ALBA

<https://de.wikipedia.org/wiki/Wei%C3%9Ftorch>

Ciconia alba sive *Ciconia ciconia* est species avium familiae Ciconiidarum particeps. Quae a.1984 et a.1994 in Germaniâ nominata est AVIS ANNI.

Index contentorum

- 1 Forma et soni, quos édit
- 2 Nutritio
- 3 Copia nutrimenti
- 4 Mores nidificandi et incubandi
- 5 Mores migrandi
- 6 Frequentia
- 7 Subspecies
- 8 Receptio
 - 8.1 Biblia
 - 8.2 Cinemata
 - 8.3 Carmina
 - 8.4 Picturae
 - 8.5 Fabellae et mythi
 - 8.6 Cetera
- 9 Vide etiam
- 10 Litterae
- 11 Reliqua
- 12 Nexus interretiales
- 13 Loci testes



ECCE PAR CICONIARUM ALBARUM CONIUGALE FIDELISSIMUM

Forma et soni quos êdere solet

Ciconiae albae longitudine sunt ferê 80-100cm, aperturâ alari sunt fere 200-220cm. Praeter pennis remiges nigras vestis pennarum est candida, rostrum et crura sunt rubeola. *Ciconiae albae* pondus habent circiter 2,5-4,5kg.

Vox *Ciconiae albae* infirmê tantum exprimitur. Cum aliis ciconiis colloquitur eo quod rostro glottorat; ideo in Germaniâ appellatur etiam „*Klapperstorch*“ (*ciconia glottoratrix*). Glottorat autem ad consortem ad nidum salutandum et ad nidum contra competitores defendendum. Necnon rituale petitionis nuptialis celebratur communi glottoratione sollemnissimâ.

Nutritio

Ciconia alba vescitur bestiolis velut lumbricis, insectis, ranis, muribus, rattis, piscibus, serpentibus, cadaveribus. Raro devorat ova et pullos nidarios aliarum avium, praesertim specierum quae nidificant in solo terrestri. Ciconia non unum genus nutrimenti ceteris praefert, sed degluttit qualemcumque nutrimentum, quod sibi praebetur. Itaque *Ciconia alba* dicitur esse ***opportunistria nutritionis***. In insulâ Föhr *Ciconiae albae* devorant bestias aestuarii, quales sunt cancri et pisces.

Methodus venandi, quâ utitur ciconia, est eius proprietas specialis, quâ iam ex loco remoto facile agnoscitur: Eadem enim praedam quaeritans graditur per prata et uligines et deinde rapidissimê rostrum suum impingit praedae sua. Praeterea etiam scit more ardeae cruribus angulatis insidiari iuxta foramen murium et deinde subito rostrum suum deicere. In aquis vadosis rostro peragitat aquam praedam quaeritans.

Copia nutrimenti

Ciconiae albae cottidie egent copiâ nutrimenti, quae aequalis est circiter parti septimae ponderis sui corporalis. Pondus corporis *Ciconiae albae* medium sunt 3,5 kg, ergo tali avi cottidie circiter 500 gramma nutrimenti sunt comedenda. Hoc refert ad praedas venatorias maiores, quales sunt mures et cadavera. Maiora frusta praedae a ciconiâ non possunt degluttiri nisi integra, quia rostrum eiusdem non est aptum ad dissecandas praedas et cadavera. Si ciconia comedit bestiolas minores, quales sunt lumbrici aut insecta, eidem comedenda est copia nutrimenti cottidiana insigniter maior. Generaliter ciconia bestias varii generis indiscriminatim aequâ cupiditate venatur, tantummodo in pullis perparvulis nutrientis ciconia praefert et consulto quaeritat lumbricos, insecta, ranulas.

Mores nidificandi et incubandi

Ciconia alba, quae assequitur aetatem plus 35 annorum, nidificat in scopolis et arboribus et aedificiis et mâtis electriductuum. Quae inhabitat plagas apertas et semiapertas. Praefert autem regiones umidas atque aquâ abundantes, velut ripas fluminum et prata inferiora. *Ciconia alba* incubat in Europâ ab Hispaniâ usque ad Russiam, in Asiâ anteriore a Turciâ usque ad Caucasm necnon in Africâ Boreali. *Ciconiae albae* pubescunt aetate quattuor ferê annorum.



Ciconiae nido naturali insidentes

Tempus incubandi durat a mense Aprili ineunte usque ad Augustum ineuntem. Mas prius adveniens eligit sedem, in cuius circumferentiâ 3-5km remotâ inveniuntur sat multa nutrimenta. Quia tales regiones etiam in rure Germaniae meridionalis rarescunt, hodie vix inveniuntur coloniae ciconiarum maiores (5 nidi in tecto domestico, plures quam 50 coloniae in vico).

Quia par ciconiarum per decennia unum eundemque nidum fideliter colere solet et aedificatio nidi numquam finitur, nidus potest assequi altitudinem complurium metrorum et pondus duarum tonnarum. Nulla Europae avis alia tantos nidos construit. Nidus mutatur, si mas nuptias agit cum novâ feminâ et anno praeterito proles incubatio cum successu infelici facta est.



Ecce ciconiae albae de planiformâ nidi artificiali sibi constructâ rixantes

Ciconia femina parit 2-8 ova, per medium 3,81 ova, alba, granulatione subtili, altero tanto maius quam ovum gallinae. Incubatio, cuius uterque coniugalis vicissim particeps est, durat per 30-32 dies; per medium 2,96 ciconiae iuveniles exoriuntur. Nidificatio durat per 58-64 dies. Successus incubandi pro nido in Europâ Mediâ non pendet a frequentiâ hominum in cirumiectis incolentium.

Sumptus magnus prolis colendi habet etiam quaedam incommoda. Si magna est inopia nutrimenti, fieri potest infanticidium, i.e. *Ciconiae albae* necant pullum proprium. Parentes sub tali condicione solent sacrificare pullum infirmissimum, aut pullos infirmissimos, ut cetera pars prolis maiore cum probabilitate perget vivere.

Mores migrandi

Ciconia alba est avis migratoria, quae plerumque quotannis magna itinera facit inter sedes suas incubatorias et sedes hiemales, quae sitae sunt in Africâ a desertis *Saharae* versus meridiem. *Ciconia alba* est *aerivolatrix, quae ad migrandum utitur calidis ventis sursum flantibus (ratione thermicâ). Quia supra aquam non oritur vis thermica, *Ciconia alba* circumvolat Mare Internum, ut in Africam perveniat. Itaque „*ciconiae orientales*“ iter faciunt trans *Bosporum* et Vallem Iordanis et Paeninsulam Sinaiticam in Africam. Quae iter faciunt per vallem Nili usque in *Sudanum*. Inde agmen ciconiarum iter pergit versus Africam Orientalem.



Ciconia alba iuvenilis praedam quaeritans

Sedes hiemales ciconiarum orientalium inveniuntur in Africâ orientali aut in Africâ meridionali. Ciconiae migrant per 10.000 km. Hoc faciunt per unum vel sesquialterum mensem. Volatus in meridiem faciendus plerumque incohatur medio vel exeunte mense Augusto, sed ciconiae iuveniles proficiscuntur unâ aut duabus septimanis prius. Revolatus in Africâ incohatur medio mense Februario, sed ciconiae regionem patriam plerumque adveniunt ineunte mense Martio aut, si tardissimê, ineunte Aprili.

Regio agminis disiungendi pertingit a margine Alpium septentrionali per *Lech*, *Regnitz*, *Kyffhäuser*, *Hercyniam austro-occidentalem*, *Osnabrugam* usque ad *Mare IJssel*. „*Ciconiae Occidentales*“ (quales dicuntur) volant prope *Columnas Herculis* trans Mare Internum, ut in Africâ Occidentali hiemem degant a flumine *Senegal* usque ad *Lacum Tšad*. *Migratrices occidentales* tempore vernali prius revertuntur in regiones incubandi quam orientales (eaedem sunt pleraeque *Ciconiae albae* omnium quae nidificant in Brandenburgiâ et Europâ Orientali, quae trans Turciam iter faciunt in Africam). Sunt numerosae varietates migratricum merê occidentalium merêque orientalium. Paucae tantum aves eligunt viam agminis, quae dicit iter medium, quod faciunt trans Italiam in *Tunesiam*.




Nidus ciconiarum in therotrophio Pamhagensi, m.Maii a.2023

Augescit numerus ciconiarum ex Europâ mediâ oriundarum, quae eligunt iter occidentale. Quae hōc modo iter brevius facientes hieme manent in Paeninsulâ Hibericâ et in Africâ Boreali, ubi hae aves versantur prope loca ab hominibus inculta et praecipuē nutrimenta quaerunt in depositorio purgamentorum. Iterum iterumque ciconiae etiam per hiemem permanent in sedibus aestivis. Usque nunc tales aves plerumque fuerunt ciconiae propter vulnerum curam ad homines assuefactae et postea denuo in regionem naturalem expositae, quae ideo insignes fuerunt moribus migrandi insolitis et perturbatis; itaque saepe necessarium erat easdem ciconias per hiemem colere. At interim etiam observatae sunt verae ciconiae hiematrices, velut hieme a.2014/15 in circulo *Main-Kinzig* sex paria incubatoria et hieme a.2018/19 centum viginti ciconiae hiematrices.

Frequentia

Ex mediis annis octogenariis saeculi proximi praeteriti ubique terrarum numerus *Ciconiarum albarum* est exauctus, quod post ciconiarum numerationem litteris perbene traditum est. Regiones, ex quibus *Ciconia alba* evaserat, denuo talibus avibus incoli potuerunt. In Austriâ et Helvetiâ hodie plures *Ciconiae albae* vivunt quam tempore primae numerationis, i.e. a.1934.

Ciconia alba olim in totâ Europâ mediâ fuit avis incubatoria et aestiva frequentissima. At processu *industrializationis numerus harum avium vehementer deminutus erat.



Diffusio et viae volaticae *Ciconiae albae* | aestate | hieme

Verisimile est numerum ciconiarum deminutum esse regionibus umidis siccandis et pratis ad agros redigendis et ictibus electricis electriductu subdiali effectis. Imprimis populationes *Ciconiarum albarum* versus occidentem iter facientium partim deletae sunt praeter quosdam locales greges reliquos. Iidem in feris circumiectis expositi servati sunt, quo effectum est, ut in mediâ Europâ occidentali in annos plures aves versentur stativae, quae partim obnoxiae sunt nutrimento ab hominibus dato. A.1934, quo primum ciconiae officialiter numeratae sunt, in regione Germaniae hodiernae circiter 9000 paria ciconiarum, a.1959 fuerunt 4800. In octogenariorum annorum alterâ parte dimidiâ numerus ciconiarum fuit minimus omnium: illo anno 2949 paria sunt numerata. At tertio millennio ineunte in Germaniâ incubant circiter 4500 paria ciconiarum.



Ecce agmen Ciconiarum albarum autumnale super Israeliam volans

Accedunt circiter 400 paria, quae in therotrophiis et in stationibus aves curandi aut in earumque circumiectis incubant ibidemque nutriuntur pabulo praebito. Haec paria pabulo obnoxia speciatim indicantur. Adhuc a.2004/05 90% (nonagenae centesimae partes) 4500 parium ciconiarum in Germaniâ habitantium nidificaverunt in novis terris foederalibus, in annis quinquagenariis haec portio fuit 50%. Ex illo tempore populationes in Germaniâ occidentali viventes insigniter recreati sunt, cum populationes in Germaniâ orientali viventes immutatae manserunt et partim, velut in Megalopoli-Pomeraniâ citeriore, sunt deminutae. A.2018 e tribus duae partes interim 6900 parium ciconiarum incubaverunt in Germaniâ occidentali. Disquisitionibus demonstratum est augmentum populationum in Germaniâ orientali factum minus effectum esse ex ciconiis propriis, sed praecipue immigratione ex Europâ orientali factâ.

In *Indice Rubro avium incubaticum Germaniae a.2020 species indicatur in categoriâ V (Index monitionis praeventivae)*.

Unio Naturae Protegenda (NABU) condidit „*Gregem Operandi Foederalem Ciconias Protegendi*“, qui in relatione quotannis publicandâ numeros ciconiarum publicat.



Ciconia alba volans

Ex a.2008 numerus ciconiarum in Germaniâ a 4297 paribus ad 6302 (a.2016) exauctus est. Itaque licet concludere statum oecologicum habitationis *Ciconiae albae* insigniter meliorem factum esse. A.2021 plus quam 7500 paria *Ciconiarum albarum* incubaverunt.

In Helvetiâ circa a.1900 fuerunt circiter 140 paria incubantia. Sed numerus ciconiarum primâ parte dimidiâ saeculi vicesimi tantopere deminutus est, ut a.1950 nullae iam ciconiae in Helvetiâ incubarent. ***Reintroductione***¹ (quae facta est auctore **Maximiliano Bloesch**, qui sub nomine „***Patris Ciconiarum***“ in claritudinem pervenit) et protectione numerus parium ciconiarum in Helvetiâ versantium usque ad annum 2005 exauctus est ad 211 paria. Annis 2013 et 2016 in Helvetiâ fuerunt minimum 370, maximum 460 paria ciconiarum, i.e. ferê ter plura quam a.1900.

In Austriâ paria ciconiarum frequentissima sunt in *Burgenlandiâ* et in *Campo Marchiano*, quae praeter Danubium sita sunt. His decenniis studia maiora fiunt *Ciconiam albam* protegendi. Specialiter in *Campo Marchiano* ciconiae revertuntur in

¹ ***reintrōductiō**, -ōnis f. (t.t. biol.: *species bestiae denuo introducitur in originalem habitationem suam naturalem, ubi iam emortua erat*) – theod. Auswilderung – angl. reintroduction (of animals into the wild), return to the wild – fr. réintroduction (*d'espèces animales dans leur milieu naturel*) – hisp. la reintroducción en su habitat, la aclimatación – ital. reintroduzione di specie animali



Ciconiae albae in agro Megalopolitano nutrimenta quaerantes

nidos suos in arboribus mediâ in plagâ naturali sitis, e.g. in vico *Marchegg*, cum in *Burgenlandiâ* nidi tectis domesticis impositi in multis vicis et oppidis inveniuntur, e.g. in oppido *Rust*, ubi a.2008 fuerunt 16 paria ciconiarum, quibus in summâ fuerunt 38 pulli. Prima numeratio ciconiarum Austriacensis facta est a.1934: numerata sunt 119-130 paria ciconiarum incubantia. Cum a.1987 tantummodo 276 paria fuissent, a.2004 in Austriâ fuerunt 392. A.2021 a *BirdLife* indicantur 420 paria ciconiarum incubantium Austriacensia. ***Polonia*** habetur pro ***Terrâ Ciconiarum***. A.2004 ibidem numerata sunt ca. 52.500 paria. Haec respondent quartae parti omnium ciconiarum totius orbis terrarum.

Pro Natura, quae est Poloniae organisatio circumiecta protegendi, opinatur hoc non celeriter mutatum iri; nam in Poloniâ, praesertim in ***Masuriâ*** (in Poloniâ boreo-orientali sitâ), ciconiae gaudent condicionibus vivendi optimis.

Ex mediis annis octogenariis numerus *Ciconiarum albarum* in plerisque regionibus incubatoriis intra Europam denuo augetur. Nonnullae regiones, ex quibus *Ciconia alba* prorsus evaserat, potuerunt, partim hominibus adiuvantibus, denuo a ciconiis incoli. ***Censu Internationali Ciconiarum Albarum Quinto*** a.1994/95 facto cognitum est toto in orbe terrarum vivere circiter 166.000 paria harum avium. Si hic numerus comparatur cum numero anni 1984, consequitur augmentum 23% (vicenarum trinarum centesimarum).

Census Internationalis Ciconiarum Albarum Sextus a.2004/05 factus iterum coordinatus est a NABU (Unione naturae protegenda, *Bergenhusae* in *Instituto Michaelis Ottonis*). Resultatum nondum definitivum est novum augmentum ciconiarum 39% (unde quadragenarum centesimarum), ut numerus mundi universalis hōc tempore aestimetur esse circiter 230.000 parium. Itaque IUCN (Unio Naturae Conservanda Internationalis) ***Ciconiam albam*** definit „*non periclitari*“.

In Insulis Britannicis, ubi ex 600 annis nullae ciconiae incubantes sunt observatae, organisationes naturae protegenda conantur *Ciconiam albam* reintroducere. Mense Martio a.2014 in Comitatu *Norfolk* inventum est par ciconiarum incubans. Prima proles *Ciconiarum albarum* in Britanniae regione ferā inventa est a.2020 in ***Sussexiā Occidentali*** Comitatu Angliae meridionali.

Subspecies

Duae sunt nōtae subspecies:

- *C. c. asiatica* [Severtsov](#), 1873[33] – Haec subspecies invenitur in Asia Centrali.
- *C. c. ciconia* (Linnaeus, 1758)[34] – Haec forma nominata invenitur in Europa, Asia occidentali, in occidente propinquō, in Africæ regione boreali usque ad australem.

Receptio litteraria

Biblia

Quia multae „*ciconiae orientales*“ trans Orientem propinquum migrant in hiberna Africana, non est mirum ciconiam quater commemorari in Bibliâ sacrâ. In [Lev](#) 11,19 [LUT](#) et in [Dtn](#) 14,18 [LUT](#) ciconia addicitur bestiis impuris, quas ne comedant Iudeis interdictum est. In [Ps](#) 104,17 [LUT](#) commemoratur ciconias desidere in arboribus altis. In [Jer](#) 8,7 [LUT](#) verbis effertur ciconiam accuratē nosse tempora avolandi atque revolandi; hoc est indicium migrationis ciconiarum.

Cinemata


In cinematœ animationis, c.t. *Ciconiae*, antagonista *Hunter* et protagonista *Iunior* et plerique eius collegarum sunt Ciconiae albae, necnon *Jasper*, qui demum in processu cinematœ appetit.

Carmina

Carmen ***Die Storchenbotschaft*** (i.e. nuntium ciconiarum) ab ***Eduardo Mörike*** scriptum ab ***Hugone Wolf*** modis musicis ornatum est.

Pictura

A ***Carolo Spitzweg*** picta est *Ciconia glottoratrix* („*Klapperstorch*“) ***infantulum humanum*** rostro gerens.



Fabellae et mythi

Secundum mythos Europae populares *ciconia* dicitur hominibus transferre infantulos lactarios. **Iohannes Christianus ANDERSEN** (1805-75) magnus Daniae narrator **fabellâ suâ Ciconiarum** hanc ideam fecit popularem. Prioribus temporibus Germaniae matres et aviae liberis narrare solebant infantulos neonatos corbi impositos matribus transferri a ciconiis, quae eos invenerint in cavernis aut paludibus, aut sinunt infantulos per caminum in domum cadere. Itaque etiam dulciola imponebant fenestrarum crepidinibus, ut ciconiae dono laetificatae optatum infantuli accipiendi explerent. Haec fabella ubique terrarum – usque ad Americam meridionalem et ad Insulas Philippinas – diffusa est.

Sed ciconia mentes hominum incitavit etiam ad alios mythos fingendos:

- Multis locis *Ciconia alba* habetur pro ***felicione***.
- Secundum fidem popularem ciconia credebatur esse inviolabilis.
- In **Alsatiâ** infantuli a ciconiâ allati non deponuntur nisi ***ibi, ubi ciconia adhuc audit homines loqui dialecto alsaticâ***, ita, „***ut rostrum crevit***“ („wie d'r Schnawwel g'wachse isch“); alioquin ciconiam avolare cum infantulo. In ceteris partibus Francogalliae *Ciconia alba* plerumque non invenitur nisi ***permigrans***, sed ***non incubans***. Itaque ibi non habetur pro infantulorum allatore.
-



Pictura Caroli Spitzweg: Ciconia glottoratrix, a.1885

- In terris Balticis (Lituania, Lettonia, Aestuonia) volatus ciconiae super caput feminae iuvenilis factus habetur pro indicio graviditatis.
- In Thuringiâ ciconia muneribus fungitur *Leporis Paschalis*.
- Ciconiae persona agens inducitur in pluribus fabellis atque apologis, e.g. **Phaedri** logos, qui agitur *de Vulpे et Ciconia*, et quem recepit **Iohannes de la Fontaine**. Nomen ciconiae, quae invenitur in apologis theodiscis, est „Adebar“. Saepe etiam appellatur „Meister Adebar“.
- Ciconia personam gerit praecipuam in fabellâ **Vilelmi Hauff** artificiosâ, c.t. „**Kalif Storch**“, i.e. „Chalifa Ciconia“ (v. infra).

Alia

- In monetis euronis slovenicis et 20-tolarorum inest imago ciconiae.
- Quoad complures terras europaeas computata est magna *correlatio* inter numerum parium ciconiarum et portio neonatorum.




- Hoc est exemplum typicum correlationis, quae *specie, non verē* est causalitas, et appareat in libris statistices didacticis.
- Asteroides zonae principalis exterioris (8601) secundum *Ciconiam albam* est denominatum. Tempore asteroidis denominandi, i.e. d.2. m.Febr. a.1999, *Ciconia alba* infuit ***Indici Rubro Avium Periclitantium***.

**SYMBOLAM WIKIPEDIAE
DE CICONIA
THEODISCE SCRIPTAM
IN LATINUM CONVERTIT
LEO LATINUS**

Iohannis Christiani ANDERSENII


CICONIAE



In tecto ultimae domûs vici parvi stabat nidus ciconiarum. Ciconia mater in nido sedebat apud quattuor pullulos, qui capita protendebant parvo rostro nigro instructa, quod nondum factum erat rubrum. Paulo remotus in dorso tecti stabat perquam rigidus et constrictus ciconia pater; qui alterum crus sustulerat, ne prorsus esset iners vigilias agens. Crederes eum ex ligno scalptum esse, tam immotus stabat. Qui cogitavit: »Certê aspectum praeebo valdê generosum eo quod uxor mea habet vigilem prope nidum stantem!« »Ceteri scilicet nesciunt me esse eius maritum. Certê putant me hîc stare mandatu publico iussum! Conspectus meus quam nobilis est!« Et perrexit uno pede stare.

Infra autem in viâ stratâ ludebat caterva puerorum; ciconiis conspectis unus ex pueris audacissimis cantavit, postea omnes unâ, versûs vetulos ciconinos. Sed cantaverunt nunc versûs tales, quales iste puer recordatus est:

»Ciconia, ciconia, fac revertare,
Statim desine uno pede stare;
Uxor tua nido insidet,
cunis pullos permovet.



The mother Stork was sitting on the nest with her little ones.

Digitized by Google

Original from
UNIVERSITY OF MICHIGAN

Unus pullus suspendetur,
Alter igne aduretur,
Tertius sclopeto occidetur,
Quartus veru infigetur.«

Deinde pulli ciconini: »En audi« inquiunt »quid pueri cantent! Qui cantant nos suspensum et adustum iri!«

Tum ciconia mater: »Ista verba« inquit, »nolite curare! Nisi ad ista attenderitis, nihil vobis nocebunt!«

Sed pueri perrexerunt cantare et ciconiam subsannabant digitis; praeter quendam puerum nomine Petrum, qui dixit peccatum esse illas bestias irridere, et noluit particeps esse irrisionis. Ciconia mater autem pullos consolata est. Eadem: »Nolite« inquit, »curare! En videte quam tranquillē stet pater vester, idque uno tantum crure!« At pulli dixerunt: »Nos timemus vehementer!« et capita retraxerunt usque ad nidum infimum.

Postridie pueri lusum congregati ciconiis aspectis cantaverunt cantilenam suam:

»Unus pullus suspendetur
Alter igne aduretur.«

Deinde ciconiae iuveniles quaesiverunt: »Num verē suspendemur et aduremum?« Tum mater: »Nequaquam!« inquit, »Discretis volare; ego vos exercebo! Postea foras volabimus in pratum et ranas visitabimus; quae coram nobis caput declinabunt et cantabunt: Coax! Coax! Et deinde illas comedemus; quod erit nobis gaudio excellentissimo!«



Pulli autem ciconini: »Et postea quid fiet?«

»Postea omnes ciconiae congregabuntur, quae in hac terrâ sunt, et incohabitum exercitium autumnale; oportebit bene volemus; hoc est magni momenti. Nam qui nesciet rectê volare, a praefecto generali rostro percutietur, ut moriatur; itaque attendite, ut aliquid discatis exercitiis ineuntibus!«

»Ergo tamen veru infigemur, ut dixerunt pueri, et audi, nunc denuo cantant.«

Tum ciconia mater: »Audite me« inquit, »non istos. Post magnum exercitium volabimus in terras calidas procul sitas, trans montes et silvas. In Aegyptum volabimus, ubi sunt domûs lapideae triangulares, quae, apicibus instructae, usque ad nubes pertingunt; quae denominantur pyramides et sunt vetustiores, quam ciconia potest animo fingere. Ibidem est flumen, quod terram inundat; quo fit, ut tota terra sit limus. Nos gradiemur per limum et comedemus ranas.«

»O!« dixerunt omnes pulli.

»Ita est! Ibi nos habebimus magnificê! Per totum diem nihil faciemus nisi comedemus; et ibi valebimus bellissimê, sed istâ in terrâ ne ullum folium viride inerit arboribus; hîc tempestas hieme tam frigida erit, ut nubes gelu diffingantur et frusta earum decidunt tamquam drappi parvi candidi!« Scilicet ciconiam matrem locutam esse de plumis nivalibus, sed nescivit easdem clarius describere.



The lore of storks carrying babies was popularized by a Hans Christian Andersen story, called "The Storks".

»Num etiam pueri male mōrati gelando diffringentur?« ciconiae iuvenes rogaverunt.
 »Non, pueri gelando non diffringentur; sed non multum abest, quin diffringantur; qui non possunt, quin in conclavi obscurō sedeant ignavi. E contrario vobis licebit circumvolitare per terras peregrinas, ubi flores erunt et sol splendebit calidē.«

Nunc aliquantum temporis erat transactum et pulli fuerunt tanti, ut in nido erecti possent stare et procul circumspectare; ciconia autem pater omni die adveniebat cum ranis pulchris et parvis serpentibus necnon cum omnibus cuppediis quae invenire poterat. O, quam vehementer exhilarabant artificiis, quae pater demonstrabat! Qui caput retorquebat ad caudam; rostro glottorabat, quasi esset crepitaculum; et deinde narrabat iis fabellas, quae omnes spectabant ad paludem.


Aliquando ciconia mater: »Audite« inquit, »nunc necesse est, ut discatis volare!« deinde autem necessarium fuit, ut omnes quattuor pulli evolarent ad dorsum tecti. O, quam vehementer illi titubabant, quam naviter âlis librabant; tamen non multum afuit, quin deciderent.

Tum mater: »Aspicite me! Sic caput vobis tenendumst! Sic pedes sunt ponendi! Unum, duo! Unum, duo! Hōc modo in mundo provolabitis!« Deinde mater paulo provolavit, et pulli parvum fecerunt saltum scaevum. Bums! Ceciderunt, nam corpora eorum fuerunt nimis gravia parumque mobilia.

»Nolo volare!« unus ex pullis dixit et in nidum erepsit; »Meā non interest venire in terras calidas!« »Vin' hīc frigore mori hieme ineunte? Vin' pueros venire, ut te suspendant, adurant, assent? Nunc illos vocabo!«

»Nequaquam« ciconiola dixit et resiluit in tectum, sicut ceteri. Tertio autem die sciverunt iam aliquatenus volare, et crediderunt se etiam scire, quomodo fieri posset, ut suspensi essent libratisque âlis pendērent; hoc voluerunt, sed bums! Tum delapsi sunt: itaque necesse fuit, ut âlas denuo celeriter moverent.

Nunc pueri venerunt et cantilenam suam cantaverunt:



»Ciconia, ciconia, fac revertare!«

»Num devolemus illorumque oculos rostris effodiamus?« pulli rogaverunt. Tum mater: »Nequaquam!« inquit, »Audite, quae vobis dictura sim. Haec sunt multo graviora: Unum, duo, tria! Nunc volamus dextrorum; unum – duo – tria! Nunc sinistrorum, circa infumibulum¹. - Videtisne hoc perbonum fuisse? Ultimus ictus alarum tam lepidē, tamque rectē impactus est, ut vobis permittatur cras mecum volare in paludem. Illuc complures familiae ciconiarum lepidae cum infantibus suis pervenient; nunc monstrate mihi meos pullos esse lepidissimos, vosque gradi dignē atque honestē; hoc est conspicuum et auget auctoritatem!«

»At nonne oportet ut ulciscamur istos pueros improbos?« rogaverunt ciconiae iuvenes.

»Licet illi clamitent quantumque volunt! Vos volabitis sursum ad nubes et venietis in terram pyramidum eo tempore, quo illi frigebunt et ne unum quidem folium viride habebunt nullumque mālum dulce!«

»Nos ulciscemur!« unus pullus alteri insusurravit, et deinde perrexerunt exercitare. Omnia puerorum in viâ versantium nullus vehementius cupivit cantare cantilenam irrisoriam quam is, qui cantare cooperat, et is fuit valdē pusillus; qui certē non plures annos habuit quam sex. Tamen ciconiae pulli crediderunt eum esse centenarium, nam is fuit tanto maior quam eorum mater atque pater, et scilicet pullos ignoravisse, quot annos haberent pueri et homines adulti! Totam ultionem suam voluerunt exigere ab isto puerō; nam is cantare cooperat et semper perseverabat. Ciconiae iuvenes erant indignatissimi, et adolescentes etiam minus parati erant ad iniuriam patiendam;

¹ *infūmibulum, -ī n. Schornstein. Adam Friedrich Kirsch, Abundantissimum cornu copiae linguae Latinae et Germanicae selectum, prima editio, Nürnberg 1714, tom.1, p.651

denique matrem urserunt promittere ultionem sui factum iri, sed ultimo demum die mansionis suae.



»Oportet primum videamus, quomodo vos geratis in primo exercitio magno! Si examine reprobabimini, ut praefectus generalis rostrum suum impingat pectoribus vestris: pueri rectē fecerint, saltim aliquatenus! Nunc videamus!«


Tum pulli dixerunt: »Ita fiat, videbis!«, et naviter operam dederunt; qui cottidie corpus excuerunt et volaverunt tam nitidē tamque leviter, ut aspectum praeberent valdē laetabilem.

Nunc vénit autumnus: Omnes ciconiae coeperunt congregari et iter facere in terras calidas, cum apud nos ingrueret hiems. Babae, quantum hoc fuit exercitium! Pullis volandum fuit trans silvas atque vicos, ut demonstrarent, quam bene scirent volare, nam imminebat iter magnum. Ciconiae iuvenes examen tam luculenter superaverunt, ut notā ornarentur, quae dicitur »*Excellenter, cum ranā atque serpente*«. Hoc enim fuit testimonium omnium optimum, et licuit iisdem ranam et serpentem comedere; quod fecerunt.

»Nunc ulciscamur!« dixerunt.

Deinde ciconia mater: »Certē!« inquit, »Id quod excogitavi, est aptissimum! Scio, ubi sit stagnum, in quo iacent omnes infantuli hominum, usque dum ciconia veniat eosque afferat parentibus. Nitidi infantuli dormiunt atque somniant amabilius quam umquam postea. Omnes parentes desiderant talem infantulum et omnes infantes desiderant sororem aut fratrem. Nunc volemus ad illud stagnum et infantulum sumamus pro omni illorum puerorum, qui non cantaverunt cantilenam malam neque ciconias subsannaverunt!«

Tum clamaverunt ciconiae iuvenes: »At ille, qui primus coepit cantare, ille puer malus et foedus! Quid faciemus de isto?«




»In stagno iacet quidam infantulus mortuus, qui somniando mortuus est: hunc sumamus illi tradendum; deinde ille puer flebit, quia sibi attulerimus fraterculum mortuum; at puero bono – illum certē non oblīti estis, qui dixerat: iniustum esse bestias ludibrio habere! - illi puero afferamus et fratrem et sororem. Et quia ille puer vocatur *Petrus*, vos quoque omnes vocemini nomine *Petri!*«

Ita factum est, ut ciconia mater dixerat; itaque omnibus ciconiis nomen impositum est *Petri*, et sic ciconiae adhuc vocantur.

Scripsit Hans Christian Andersen (1805-1875)
In Latinum convertit Leo Latinus

FABELLA VILELMI HAUFF: CHALIFA CICONINUS



CHALIFA CICONINUS

Hanc fabulam in Latinum convertit
Wilhelm Hundsrucker

Tempore quodam postmeridiano sereno Chalifa Bagdetiensis nomine *Chasidius* animo relaxato in stibadio suo sedebat; paulum dormiverat, nam dies erat calidissimus, et nunc post somniculum vultu erat satis hilari. E longo fumisugio ligno rosarum fabricato fumum tabaci hauriebat; interdum paulum bibebat cafeae a servo quodam porrectae et laeto animo barbam manu mulcebat, cum potus ei bene sapuerat. Ne multis, toto ex ore chalifae eminebat eum satis bene se habere. His horis bona occasio erat cum eo colloquendi, quia tum semper erat mitior affabiliorque.




Itaque hōc tempore per omnes dies vasirus maior *Mansor* ad eum veniebat. Etiam hōc tempore postmeridiano vasirus vēnit, sed contra consuetudinem vultu erat admodum cogitabundo. Chalifa fistulā paulum ex ore detractā: »Cur«, inquit, »vultu es tam cogitabundo, vasire?« Bracchiis circum pectus decussatis caput suum coram domino demisit et respondit: »Domine, nescio, num vultu sim cogitabundo, sed subter in loco ad castellum sito mercator est, qui tam pulchras res habet, ut me pigeat pecuniā parum abundare«. Chalifa, cui iam dudum cordi erat vasirum laetitiā afficere, servum nigrum demisit, qui mercatorem arcesseret. Brevi servus cum mercatore rediit. Is erat vir parvus crassusque, facie fuscā, vestitu pannoso. Cistam ferebat plenam mercium variarum, - margaritarum, anulorum, pistoliorum multipliciter ornatorum, poculorum, pectinum. Omnibus rebus perlustratis chalifa sibi Mansoriique pistolia pulchra êmit, uxori vasiri pectinem. Cum mercator cistam suam iam operire vellet, chalifa parvum forulum reciprocum videns rogavit, num in eo etiam inessent res venales. Mercator cistulā extractā capsam metallicam pulvere nigro impletam monstravit et chartam signis mirabilibus inscriptam, quae neque chalifa neque vasirus legere sciret. »Olim«,

inquit mercator, »has duas res accēpi a mercatore, qui eas Meccae in viâ iacentes invēnit. Nescio, quid iis insit. Vendam eas vobis parvi pretii, quia mihi ipsi sunt inutiles.« Chalifa autem, cui, quamquam legendi inscio, magnae curae erat in bibliothecā scripturas antiquas habere, chartam capsamque êmit et mercatorem dimisit. Curiosus, quid scriptura contineret, ex vasiro quaesivit, num quem cognosceret, qui hanc scripturam legere sciret. »Domine Princepsque«, hic respondit, »prope magnam domum Prophetae sacram vir quidam habitat, qui ‘Selimus doctus’ nominatus omnes linguas sciat. Arcesse eum! Fortasse ei haec arcana



signa nôta sunt.« Selimus doctus brevi arcessitus est. »Tu, Selime«, inquit chalifa, »doctus esse diceris; aspice paulum has litteras et conare eas legere! Si eas lêgeris, donabo tibi novam vestem sollemnem; nisi sciveris, puniam te duodecim alapis et viginti quinque plâgis, quae plantis pedum erunt infligendae, quia indignus eris, qui ‘doctus’ nomineris.« Selimus capite inclinato: »Fiat«, inquit, »voluntas tua, Domine!« Diu cum scripturam aspexisset, exclamavit: »Peream, nisi hae litterae sint Latinae, Domine!« »Dic, quid scriptum sit, si est Latinum!« Statim Selimus coepit litteras transferre: »Homo, qui hoc invenias, *Allaham* praedica pro benignitate! Qui pulverem ex hac capsâ naso hauriens dixerit: ‘**Mutabor**’, mutabitur ilico in quodlibet animal et etiam sermonem bestiarum cognoscet. Si remutari in hominem volueris, ter te in solem orientem vertens illud verbum dic! Sed mutatus cave, ne rideas! Si enim riseris, illud verbum magicum tibi penitus e memoriâ extinguetur et tu bestia manebis!« Hôc audito chalifa maximo gaudio impletus est. Doctum virum iurare iussit eum neminem de hôc arcano certiorem facturum esse, eumque pulchrâ veste sollempni donatum dimisit. Vasiro autem dixit: »Bene êmimus, Mansor! Magno gaudio exspecto me bestiam factum iri. Postero die mâne ad me věni! Deinde unâ in campum ibimus, paulum pulveris hauriemus et tum auribus accipiemus, quae dicantur in aëre et in aquâ, in silvâ et in agro«.

Postero die chalifa vix prandium sumpserat et vestitus erat, cum iam vasirus accessit, ut iussus eum ambulantem comitaretur. Chalifa capsâ pulveris magici plenâ in cingulo depositâ comitatuque remanere iusso unâ cum vasiro profectus est. Hortos amplos transeuntes oculis aliquam bestiam investigabant, ut artem suam experirentur, sed frustrâ. Itaque vasirus postremo suasit, ut ultiro usque ad stagnum irent, ubi iam saepe multa animalia, imprimis ciconias, vidisset, quarum gravitas atque glottoratio sibi semper admirationi fuissent. Chalifae consilium vasiri placuit; itaque cum eo ad stagnum accessit. Cum ibi advenirent, viderunt ciconiam graviter ultiro citroque gradientem, ranas quaerentem, interdum glottorantem. Eodem tempore aliam ciconiam ex aëre summo in hanc regionem delabentem viderunt. »Policeor me barbam meam derasurum esse, Domine optime, nisi hi longipedes bene colloquantur. Placetne tibi in ciconiam mutari?« »Bene dixisti«, chalifa respondit. »Sed antea experiamur, quomodo rursus in...




...homines mutemur! Debemus ter nos in orientem vertere et ‘*mutabor*’ dicere; tum ego in chalifam rursus mutabor, tu autem in vasirum. Sed severissimē vetitum est ridēre. Nam si ridemus, nos ipsos perdemus». Chalifa haec verba dicens aliam ciconiam supra caput volantem et tardē ad terram delabentem vidi. Capsâ pulveris plenâ celeriter e cingulo extractâ non parvam copiam pulveris hausit et capsam vasiro porrexit, qui etiam pulverem sumpsit. Tum uterque clamavit: »*Mutabor!*«

Tum crura contracta tenuia rubraque facta sunt; pulchrae soleae flavae chalifae comitisque in informes ciconiarum pedes mutatae sunt, bracchia in âlas; collum ex pectore in altitudinem cubitalem excrevit; barba amissa est, corpus pennis levibus opertum est. »Te rostrum pulchrum decorat, Domine vasire!«, chalifa diu stupens dixit. »Per barbam Prophetae, talem rem in vitâ meâ nondum vidi!« »Multas gratias ago«, vasirus respondit caput summittens, »sed contendam, si liceat, principem venerabilem in ciconiam mutatum paene conspicuum esse quam chalifam. Te assentiente eamus ad ciconias, ut

novos consodales nostros audiamus et cognoscamus, num re verâ intellegamus sermonem ciconînum!«

Interea altera ciconia, postquam ad terram devênit, rostro pedes purgavit et pennis ordinavit et adiit ad primam ciconiam. Duae novae ciconiae appropinquantes stupefactae hoc colloquium audiverunt: »Opto tibi bonum mâne, Domina Longipes! Tune matutino iam tempore in prato versaris?« »Multas gratias, glottorator! Prandiolum sumpsi. Vin’ delibare frustulum lacertae vel ranae crusculum?« »Multas gratias! At hodie non esurio. Vêni in pratum aliâ causâ. Mihi hodie coram convivis patris saltandum est. Quamobrem in secreto paulum corpus exercebo.« Statim ciconia puellaris se miro



modo movens vertensque per campum gradiebatur. Chalifa Mansorque admiratione pleni eam aspiciebant. Cum autem eadem tamquam picta pennis more vetusto movens uno pede staret, duo viri in ciconias mutati animum suum non iam coercuerunt: risus effrenatus ex rostris erûpit et diu finiri non poterat. Chalifa primus animo coercito: »Hoc erat«, inquit, »gaudium cum auro non aequiperabile! Doleo animalia stulta risu nostro fugata esse; alioquin ciconiae certê etiam cantavissent«. Nunc autem vasiro in mentem vénit sibi mutatis risum interdictum esse. Itaque chalifam de suo timore certiore fecit. »Per Meccam et Medinam! Ridendum non esse, nisi necesse esset me ciconiam esse mansurumque. Memorare verbi magici, quia ego eius immemor sum!«




Fascinati per campos maesti gradiebantur, nescientes, quid in tantâ miseriâ facerent. Neque enim poterant formam rursus mutare neque in urbem revolare, ut cives se cognoscerent, quia nemo ciconiae credidisset eam chalifam esse; etiam si creditum esset, non constat futurum fuisse, ut Bagdetienses chalifam vellent chalifam habere ciconiam.

Quam ob rem per complures dies ambientes miserrimê vescebantur fructibus praediorum, quos propter rostra longa vix edere poterant. Lacertas ranasve non degluttiebant, cum timerent, ne talibus frustulis delicatis ventrem nimis onerarent. Hac in miseriâ iis nihil gaudio erat nisi facultas volandi. Itaque saepe in tecta Bagdetiensia volabant visuri, quid ibi fieret. Primis diebus magnum tumultum maeroremque in viis sentiebant; sed cum circa tres dies post mutationem transacti essent, in tecto palatii chalifae sedentes subter in viâ apparatum magnificum spectaverunt: tympana fistulaeque sonabant, vir coccineo amiculo auripicto vestitus in equo ornato sedebat, circumdatus servis splendidis; magna turba Bagdetiensium sequens exclamabat: »Ave, Mizra! Ave, Princeps Bagdetiae!« Tum ambo ciconiae in tecto palatii sedentes unum alterum aspexerunt chalifa dixit: »Tibine nunc in mentem venit, ... cur fascinatus sim, vasire? Hic est Mizra, filius inimicissimi mei, magni magi Kaschnuri, qui mihi olim in horâ malâ ultionem minatus est. Sed nondum despêro. Mecum veni, fide comes miseriae meae! Eamus ad sepulchrum prophetae sperantes nos in hôc loco sacro a fascino solutum iri!«

Ab tecto palatii surrexerunt volaturi in urbem Medinam. Cum autem volandi periti non essent, hoc eis erat difficile. »O Domine«, vasirus iam post paucas horas


»Nobis caput ter ad orientem inclinandum et dicendum est: 'Mu - Mu - Mu -'«

Ad orientem conversi semper semperque caput demittebant, ut paene rostra terram attingerent. Sed, heu miseros, verbi magici oblîti erant, et quotienscumque chalifa se inclinabat vasirusque desiderans exclamabat »Mu - Mu - Mu -«, omnis memoria verbi exstincta erat, et Chasidius miser vasirusque eius erant ciconiae et manebant.



et

lamentabatur, »veniam da! Ego hoc non iam sustineo. Volas nimis celeriter. Praeterea vespere iam adventante necesse est hospitium nocturnum quaerere.« Chasidius servo precanti obsecutus est; et cum subter in valle parietinas conspexissent, quae hospitio esse viderentur, eo volavérunt. Hic locus, quo sedérunt ad dormiendum, olim castellum fuisse videbatur. Pulchrae columnae ex parietinis eminebant, e compluribus conclavibus paene integris apparebat decus domûs pristinum. Chasidius comesque eius per domum ibant quaesituri sibi loculum siccum, cum ciconia 'Mansor' constitit dixitque: »Domine princeps! Utinam ne stultum esset vasiro magis quam ciconiae larvas timêre! Ego valdê paveo, quia iuxtim audivi claram vocem suspirantem et lamentantem«.




Tum chalifa etiam stans clarê audivit fletum parvum potius humanum quam bestiale. Itaque chalifa rerum novarum cupidus accessurus erat eo, unde lamenta audiverant; vasirus autem rostro âlam eius rapiens deprecatus est, ne periculum novum ignotumque subiret. Sed ei non contigit, ut chalifam retineret. Is, qui etiam âlis ciconinis instructus animo esset forti, nonnullis pennis amissis se eripuit et in andronem obscurum properavit. Chalifa brevi ad ianuam advenerat, quae non clausa, sed sôlum applicata videbatur. Ex eâ clara suspiria parvo ululatu admixta audivit. Chalifa ianuâ rostro apertâ stupefactus in limine constitit. In conclavi ruinoso parvâ tantum fenestrâ clatrâtâ instructo, quod paulum illuminabatur, conspexit magnam strigem humi sedentem. Quae ex magnis oculis rotundis lacrimas per genas ubertim fundebat et ex rostro curvo edebat lamenta submissa. Chalifa autem vasiroque, qui interea adrepserat, conspectis strix clamorem sustulit laetissimum. Decôrê âlâ maculis fuscis obsitâ lacrimas ex oculis detersit et duobus viris stupentibus acclamavit Arabico sermone humano bene usus: »Salvete, ciconiae! Vos mihi bono omni estis

salutis meae! Mihi enim olim praedictum est ope ciconiarum fore, ut mihi essent res secundissimae.« Chalifa, cum se a stupore respiravisset, collo longo se inclinans pedibus tenuibus decôrê collocatis dixit: »Strix! Verbis tuis auditis mihi liceat credere te comitem miseriarum esse. Sed eheu te miseram! Frustra speras te a nobis servatum iri. Tu ipsa nostram miseriam cognosces, si nostram fabulam audiveris.« A strige rogatus, ut fabulam narraret, chalifa coepit narrare ea, quae iam novimus. Chalifa cum strigi fabulam narravisset, haec ei gratias egit dixitque: »Audi nunc etiam meam fabulam et cur non minus infelix sim quam tu! Pater meus est rex Indiae, ego, unica eius filia, 'Lusa' nominor. Ille magus *Kaschnurus*, qui vos fascinavit, etiam me in res adversas pepulit. Aliquo die ad patrem meum vînit me filio suo Mizrae in matrimonium petiturus. Pater meus autem, vir fervidi animi, eum de scalâ deici iussit. Malo autem viro figurâ mutatâ denuo contigit, ut ad me rôperet, et cum olim in horto potum refrigeratorium sumptura essem, ille more servi vestitus mihi potionem porrexit, quae me in hanc fastidiosam figuram mutaret. Tum me timore impotentem huc tulit et voce terribili mihi in aures clamavit: 'Tu hîc maneto, propter fastidiosam figuram etiam bestiis despecta, usque ad tuum finem aut ad id tempus, quo aliquis suâ sponte te, ut es fastidiosa, uxorem concupiscit. Hôc modo te patremque tuum ulciscar.' Ex hôc tempore multi menses praeteriérunt. Sôla et tristis vitam eremitae dego in his moenibus despecta ab hominibus et etiam bestiis fastidiosa; non video pulchram naturam, quia caeca sum luce diei nec velamen lacrimarum ab oculis meis delabitur, nisi luna lucem luridam super haec moenia diffundit.«

Strix cum finem narrandi fecisset, âlâ rursus oculos purgavit, nam narratio laborum miseriarumque lacrimas effecerat.

Chalifa filiâ rôgis narrante ad cogitandum motus: »Ni fallor«, inquit, »nostrae miseriae inter se cohaerent; sed ubi inveniam clavem huius aenigmatis solvendi?« Strix respondit: »O Domine, ego idem conicio. Nam mihi puellae olim a muliere sapiente praedictum est me a ciconiâ fortunatam factum iri. Fortasse...



...scio, quomodo nos servemus«.

Chalifa valdē stupefactus rogavit, quomodo id fieri posset. Tum strix: »Magus«, inquit, »qui nos infelices fecit, omni mense semel venit in has parietinas. Prope hoc conclave aula est, in quā solet epulari cum multis magis sodalibus. Iam saepe ibi eorum sermonem aucupavi. Narrant ibi inter se de facinoribus suis flagitiosis. Fortasse ille tum faciet illud verbum magicum, quod vos obliti estis.« Chalifa: »O filia rēgis amicissima«, inquit, »dic, quando magus venturus sit et ubi illa aula sit!« Strix autem, cum paulisper tacuisset: »Ne« inquit »indignati sitis! Sed solā eā condicione voluntatem vestram explere possum.« »Dic! Dic!«, Chasidius exclamavit, »qualiscumque condicio est tua, eam explebo!« »Ego quoque vobiscum libertate frui velim; hoc autem solā eā condicione fiet, ut unus vestrum me in matrimonium ducere velit.« Ciconiae hōc voto primo stupefacti sunt; tum autem chalifa famulo adnuit, ut secum exiret. »Vasire«, chalifa dixit ante ianuam, »hoc est commercium stultum, sed tu eam in matrimonium ducere possis.




»Quid?«, respondit ille, »uxor mea mihi cum istā domum venienti oculos eradet. Praeterea senex sum; tu autem, iuvenis caelebs, aptior es ad filiam rēgis pulchram in matrimonium ducendam.« »Haec autem est difficultas!«, chalifa ingemuit alīs maerore pendentibus. »Quis scit, num ea sit puella pulchra? Istud est rem emere involutam!« Cum diu collocuti essent, chalifa tandem intellegens vasirum malle ciconiam manēre quam strigem illam in matrimonium ducere, constituit, ut ipse condicionem acciperet. Strix itaque magno gaudio affecta professa est eos occasione optimā venisse, quia verisimile esset magos proximā nocte futurā conventuros esse. Itaque strix cum ciconiis conclave relīquit eos ad illud atrium ductura. His diu per tenebras euntibus postremo tandem ex muro semiruinoso lux clara alluxit.



Cum eo advenissent, strix eis suasit, ut tacērent. Per lacunam enim muri, ad quam stabant, vidērunt magnum atrium circumcirca columnis ornatum et magnificē decoratum. Lux diei compensabatur multis lampadibus coloratis. Medio in atrio erat

mensa rotunda multis cibis exquisitis obsita; circa mensam erat stibadium, in quo sedebant octo viri, ex quibus ciconiae unum cognovérunt illum mercatorem, qui eis pulverem magicum vendidisset. Is a convictore rogatus, ut novissima facta magica narraret, praeter alias multas res etiam fabulam de chalifâ vasiroque narravit. Postremo ab alio mago rogatus, quod verbum illis viris pensum imperavisset,

»Difficile«, inquit, »verbum Latinum:



‘Mutabor’!«




His verbis per lacunam muri auditis ciconiae maximo gaudio impleti pedibus longis ad portam parietinarum tam celeriter cucurrérunt, ut strix vix sequi posset. Ibi chalifa animo motus strigi dixit: »Salvatrix vitae meae amicique mei, me, ut videas nos tibi perpetuam gratiam habere pro tuo auxilio, maritum accipe!« Tum autem ad orientem versus est. Ciconiae ter rostra longa ad solem hôc tempore ex montibus orientem advertebant. »Mutabor« clamavérunt statimque mutati sunt.



Magno gaudio vitae redonatae impleti Dominus famulusque ridentes et flentes inter se complexi sunt. Sed deinde, cum se convertissent - nescio, quibus verbis dicam - quantum illi stupefacti sint! Cum respicerent, ante eos stabat pulchra femina magnificè decorata, quae subrīdens chalifae manum porrexit. »Nonne« inquit, »cognoscis tuam strigem?« Et profecto strix in pulchram feminam mutata erat. Chalifa eius pulchritudine et gracilitate ita laetus est, ut exclamaret se fortunatissimum fuisse eo, quod


in ciconiam mutaretur. Nunc tres unâ Bagdetiam profecti sunt. Chalifa vestibus suis indutus non sôlum invênit capsam pulvere magico impletam, sed etiam marsupium. Itaque in vico proximo res ad iter necessarias êmit.



Ita iter facientes brevi ad portas Bagdetiae venîrunt. Ibi autem adventus chalifae magnae admirationi erat, quia mortuus esse dictus erat. Quam ob rem populus magno gaudio affectus est, quia Principem dilectum recuperaverat. Eo magis odio in deceptorem *Mizram* accensi in palatum incurrêrunt et magum veterem filiumque eius cepêrunt. Chalifa magum veterem in idem conclave parietinarum, in quo filia rēgis ad strigem mutata habitaverat, misit et eum ibi laqueo necari iussit. Filio autem artium magicarum patris imperito concessit, ut ipse decerneret, utrum mori an pulverem magicum sumere mallet. Mizrae pulverem eligenti vasirus capsam porrexit. Magnâ copiâ pulveris et verbo magico chalifae Mizra in ciconiam mutatus est. Chalifa eum in caveam ferream claudi et in horto suo constitui

iussit.

Chalifa Chasidius cum uxore, filiâ rēgis, vitam longam contentamque agebat. Maximo gaudio erant ei horae, quibus vasirus eum post meridiem visitabat. Et Chalifa maximē gaudens imitabatur, quomodo vasirus in ciconiam mutatus se gessisset. Graviter pedibus extensis gradiebatur conclavi, glottorabat, bracchia quasi



in

âlâs movebat et monstrabat, quomodo ille frustra ad orientem se inclinans ‘*Mu-Mu-Mu-*’ clamavisset. Uxori chalifae liberisque eius hoc spectaculum magno gaudio erat. Cum autem chalifa diutius glottoraverat et se inclinans ‘*Mu-Mu-Mu-*’ clamaverat, vasirus ridens minabatur se ea, quae ante ianuam filiae rôgis in strigem mutatae pacti essent, uxori chalifae narraturum esse.

Cum *Selimus Baruchus* fabulae suae finem fecisset, mercatores se hac narratione contentissimos praestitêrunt. »Profecto, tempus postmeridianum transactum est nobis inscientibus«, inquit unus ex eis operimentum tentorii reponens. »Vento vespertino fortiter flante bona occasio est iter pergendi.« Comitibus hoc consilium placuit; itaque tentoriis depositis caravanna mercatorum profecta est eo ordine, quo advenerat

...

FINIS

CHALIFA CICONINUS

Titulus originalis: „*Die Geschichte von Kalif Storch*“



Wilhelm Hauff (1802-27)

In Latinum convertit picturisque ornavit

Wilhelm Hundsrucker

Director studiorum superior emeritus Saldenburgensis

INDEX VERBORUM RARIORUM RECENTIORUMVE

***Bagdētia**, -ae f., orig. *Bagdad*. **Bagdētiēnsis*, -e adi.

GRAESSE/BENEDICT (= GrB.), *Orbis Latinus oder Verzeichnis der wichtigsten lateinischen Orts- und Ländernamen*. 2.ed. Berlin 1909, p.36. “*Bagdetia*, *Bagdad*, St., asiat. Türkei.”

+caravanna, -ae f. orig. *Karawane*.

Christian HELFER (= He.), *Lexicon Auxiliare*, 3.ed., Saarbrücken 1991, p.301, s.v. *Karawane*: +*caravanna*, -ae f. [MLW = Mittellateinisches Wörterbuch II 2,266,49].

+chalīfa, -ae m., orig. *Kalif*.

He.297, s.v. *Kalif*: “**chalīfa*, -ae m. [(P)M.NORBERG: *De Chalifis litterarum studiosis*. Diss. Lund 1791; Math.NORBERG: *De magnificentia Chalifarum*. Diss. Lund 1808]

cicōnia, -ae f. orig. *Storch*.

PUBL.SYR.mim.7; VARROsat.Men.272; HOR.sat.2,2,49; OV.met.6,97; PHAEDR.1,26,3; PLIN.nat.10,61. **cicōnīnus**, -a, -um SIDON.ep.2,14 adventus ciconinus.

clatrātus, -a, -um.

fenestra clatrāta PLAUT.mil.379; orig. *Gitterfenster*.

forulus reciprocus. orig. *Schublade*.

He.489, s.v. *Schublade* *forulus reciprocus* [Scheller, Ausführliches und möglichst vollständiges lateinisch-deutsches Lexicon oder Wörterbuch. Deutsch-lateinischer Teil. 2.Auflage, Leipzig 1789]

***fūmisūgium**, -ī n., orig. *Pfeife*.

He.418, s.v. *Pfeife* <Tabakspfeife>: “...**fūmisūgium*, -ī n. [Karl Ernst Georges: Deutsch-lateinisches Handwörterbuch. 2.Auflage Leipzig 1839]“

glōttorō, -āre, orig. *Klappern* (*sonus ciconiarum*).

ANTHOLOGIA LATINA 733,7 (1079,7), 762,29 R. (223,29 M. gloctorat). **glōttorātiō*, -ōnis f.

parietinae, -ārum f.pl. orig. *Ruine*.

SIS.hist.24; CIC.Att.5,19,3 ; Tusc.3,53 ; al.

pecten, -inis m. orig. *Kamm*.

PLAUT.capt.268; OV.met.4,311; fast.1,405; SEN.dial.10,12,3;
PETRON.162,2.

***pistolium**, -ī n., orig. *Pistole*.

He.424, s.v. *Pistole*: “...**pistolium*, -ī n. [Eichenseer, Vox Latina 81,108]”

rem emere involūtam. orig. *die Katze im Sack kaufen*.

cfr Karl Ernst Georges, *Ausführliches Deutsch-Lateinisches Handwörterbuch*, tom.2., (K-Z), Leipzig 1882, col.816, s.v. *Sack*: „...Sprüchw., die Katze im Sack kaufen, rem involutam emere (nach Sen.ep.80,8).“ - SEN.ep.80,9 *Equum empturus solvi iubes stratum, detrahis vestimenta*

venalibus ne qua vitia corporis lateant: hominem *involutum* aestimas? Mangones quidquid est quod displiceat, id aliquo lenocinio abscondunt, itaque *ementibus* ornamenta ipsa suspecta sunt: sive crus alligatum sive bracchium aspiceres, nudari iuberes et ipsum tibi corpus ostendit.

***sēmiruīnōsus**, -a, -um. orig. *halbzerfallen*.

cfr ruīnōsus CIC.off.3,54 aedēs ruīnōsa.

somniculus, -ī m. orig. *Schläfchen*.

NOTAE TIRONIANAE p.83,17 (Georges, Ausführliches Lateinisch-Deutsches Handwörterbuch, 14.a ed., Hannover 1976, tom.2, col.2724, s.v.).

stibadium, -ī n. orig. *Sofa*.

He.508, s.v. Sofa: “sponda, -ae f.; stibadium, -ī n.; cathedra longa.
stibadium, -ī n. MART.14,87; PLIN.ep.5,6,36; CIL 6.2251.

strix, strigis f. orig. *Nachteule*.

cfr OLD (Oxford Latin Dictionary) p.1829, s.v.: "...PL.Ps.820: strīg-;...A kind of owl, regarded as a bird of ill omen, sometimes as a vampire or evil spirit. Non condimentis condunt, sed strigibus uiuis conuiuis intestina quae exdint PL.Ps.820; plumam...nocturnae strigis HOR.Epod.5.20; e tectis strix violenta canat TIB.1.5.52; consuluit ... striges nostro de sanguine (lena) PROP.4.5.17; OV.Fast.6.139; SEN.Med.733; quae striges comederunt neroos tuos...? PETR.134.1; PLIN.Nat.11.232; sparsis strix sanguine pennis SIL.13.598. ”

+vasīrus, -ī m., orig. *Wesir*, **+vasīrus maior**, orig. *Großwesir*.

cfr He.617, s.v. Wesir: „*vasīrus, -i m. [E.KAEMPFER 1712,140; 1582, O.G.de BUSBECQ 1740: visirius]“.

**Versionem Latinam retractavit
indicemque verborum composit**

Nicolaus Groß

LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.com/>



NARRATIUNCULAE

PUERI

MALE MÓRATI

(Lausbubengeschichten)

Quas scripsit

LUDOVICUS THOMA

in Latinum convertit

NICOLAUS GROSS



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS

PARS TERTIA DECIMA: Amita Frida (*Tante Frieda*)

Pars I: De Gretulâ Vollbeck EL 144, 4-12; pars II: De primo amore meo EL 145, 7-14; Pars III: Magister Puellulus EL 155, 4-16; Pars IV: Feriis quae facta sint EL 164, 14-23; Pars V: Sponsalia EL 169, 13-19; Pars VI: Nuptiae 173,12-20; PARS VII: De Periurio EL 205, 15-22; PARS VIII: De avunculo Francisco EL 218, 7-10; PARS IX: De infantulo EL 220, 13-18; PARS X: Bona proposita EL 226, 07-15; PARS XI: De puerō honesto EL 242, 22-31; PARS XII: Melioratio EL 252,18-26.



LUDWIG THOMA
(1867-1921)
 Circa a.1909 pinxit Karl Klimsch.

Ludovicum iuvenem cum pertaedeat se iterum iterumque submittere licentiae magistrorum ceterorumque hominum, qui putantur esse auctoritates, audax consilium capit unum post alterum, quo quam bellissimē calcitret contra stimulum civium abderitanorum.

Ludovicus Thoma his in narratiunculis satiricis, quae specie tantum sunt pueriles, mirifico ingenio comico stupendâque subtilitate mores describendi sistema scholae vilemianum et clericalismum integumentis dissimulationis fallacissimae evolvit denudatque.

Eius »Narratiunculis pueri male mōrati« lepidissimis animi lectorum usque hodie non desinunt mirabiliter delectari.



PARS TERTIA DECIMA (XIII)

Amita Frida

Mater mea dixit: »O bone Deus, perendie veniet glos.«

Tum autem tam acerbê gemuit, quasi *Bindinger* adesset et loqueretur de ingenio meo. Necnon *Annula* pocillo suo cafeario seposito dixit sibi cafeam non iam bene sapere, nam certê amitam verbis laesuram esse Iudicem Officialem et omnia male evasura esse.

»Quâ re« inquit »illam invitasti?«.

Mater mea: »Non invitavi.« respondit, »Ista semper venit ultro et suâ sponte.« Evidem: »Necesse est« inquam »istam foras eicere«.

Mater mea: »Tibi« inquit, »non licet loqui tam indecorê. Oportet ne obliviscaris illam esse sororem Attae tui defuncti. Ceterum minor natu es, quam ut iudices de illâ.«

Evidem dixi: »At ista vobis prorsus displicet, et honorem laedet Iudicis Officialis; quo fiet, ut is Annulam non ducat in matrimonium, quamvis tantopere gaudeat de nuptiis faciendis. Fortasse amita dicet illum esse strabonem.«

Tum autem *Annula* mihi acclamavit: »Is non est strabo, tu puer male môrate et impudentissime! Nunc iste enuntiat me nupturam esse, ut homines hoc circumcirca enarrent. Non, non, istud non iam patior, abibo in terras longinquas et munus suscipiam.«

Tum mater mea prorsus misera exclamavit: »Ah puellula mea, noli flere. Omnia bene evadent, et, in nomine Dei, praeteribit etiam visitatio amitae.«

Haec facta sunt die Lunae, et die Mercurii vînit illa. Nos omnes tres adiimus stationem ferriviariam, et mater mea iterum iterumque dicebat: »Heus *Annula*, fac ut subrideas! Alioquin iam hodie molestias patiemur.«

Tum tramen sibilavit, et illa descendit et exclamavit: »O Deus! O Deus! En omnes vos adestis! Oh, quam vehementer gaudeo! Velim adiuvetis me, ut efferam sarcinas meas!«

Nunc amita in ochimatis¹ interiora clamavit scatulam esse suam, et vidulum sêdi suppositum esse suum, peram supra positam esse suam et caveam in parte posticâ positam, cui inesset psittacus, esse suam. Aliqui vir omnia isti extulit, et ista mihi omnia tradidit, sed ego dixi vidulum esse nimis ponderosum, me non posse eundem portare. Tum ista: »Annula,« inquit, »te certê adiuvabit. Vos estis iuvenes atque robusti. Sed *Lorulam* meam ipsa feram.« Tum adiit matrem meam eamque osculata est et vociferata: »Gaudeo, quod te video bene valere, nam saepe sollicitor propter morbum cordis, quo tu laboras, sed attende, ne tangas caveam, nam Lorula mea non patitur quassari.«

Mater mea vidulo magno aspecto sensit eundem fortasse melius portari a baiulo stationis, sed amita dixit: »Non, non patior tibi pecuniam esse erogandam; certê liberi tui vidulum sustinebunt.«

Annula conata est vidulum sustinere. Sed hoc ei non contigit, quia vidulus fuit nimis ponderosus. Tum advénit Aloisius, qui est baiulus stationis, et is vidulum sumpsit.

Deinde amita matri iterum dixit sibi displicere nobis pecuniam esse erogandam, neque se scivisse Annulam tam esse imbecillam. Sed modo sibi in mentem incidisse illam iam infantem fuisse nimis teneram. Fortasse Annulam heredio materno accepisse morbum cordis.

Mater autem: »At ego« inquit, »Deo gratias ago, quod bene valeo, et medicus nihil iam invénit morbi.«

Tum amita est vociferata: »Vah, isti medici! Iosephi mei miseri valetudinem examinantes etiam nihil morbi invenerunt, usque dum mortuus est, et saepe medici nolunt loqui de morbo.«

Deinde domum iimus.

Cum ibamus, Annula mihi insusurravit: »Videbis istam mansuram esse per feriarum spatium totum.«

»Hoc« inquam, »non puto. Si ista manere voluerit, aliquid inveniam, quo efficiam, ut ista beat.«

Tum Annula clam risit, cum alioquin semper infelix sit, si quam technam commisi. Sed nunc eadem risit et ex me quaesivit: »Quid vis facere?«

Dixit: »Hoc adhuc nescio. Fortasse caveae psittaci imponam diabolum ignivomum², aut pennas ei evellam, ut nudus fiat, aut faciam quidquid aliud. Non antea dici potest, quid faciendum sit, quia primo investigandum est, quâ re illa maximê irritetur.« Annula autem susurravit: »Si quid inveneris, quo illa beat, donabo tibi duas marcas.«

Evidem »Rectê dicis,« inquam. »Sed primo oportet mihi des marcam, quia sumptûs mihi erunt solvendi.« Marcâ promissâ domum vénimus.

Nobis nunc fuit ad ianuam exspectandum, quia mater cum amitâ tardius iens retardata est.

In androne domestico amita dixit: »In nomine Dei, denuo hîc adsum. O quam bellula est domuncula tua! En habes longum tapetulum cocoīnum³!«

¹ **ochīma**, -atis n. *Waggon, Eisenbahnwagen*. ThLL IX 2 411,33: ochīma ὄχημα GLOSS. V 524, 22 -a: *vehiculum* (573, 52). cfr neogr. Heinz F. Wendt, *Langenscheidts Taschenwörterbuch Neugriechisch*, Langenscheidt Verlag, 10.Aufl., 1982, p.349: „ὄχημα ... n Waggon m., Wagen m.“ - cfr Helfer, *Lexicon Auxiliare*, 3.ed., Saarbrücken 1991, p.178, s.v. *Eisenbahnwagen*: „currus *ferriviarius; ochīma, -atis n. [ThLL IX 2 411,33]. -

² **diabolus ignivomus** orig. *Speiteufel*. i.q. *nomen iocosum capsulae displosivae, quam puer conficit pulvere pyrio adhibito*.

³ ***tapētulum *cocoīnum** orig. *Kokusläufer*.

Mater mea dixit andronem hieme vehementer frigidum esse, et se hoc tapetulum emisse valetudinis causâ.

Tum amita: »Unum tantum metrum« inquit, »certê constat quattuor marcis. Sed venalia prostant etiam tapetula satis bellula sesquialterius marcae pretio«

Deinde amita iit in conclave suum, et ego sarcinas eius importavi. Ea caveam mensae imposuit psittacoque dixit: »En Lorula, adsumus, et delectabimur.« Tum autem amita ore cancellis appresso avem allexit: »Su su! Ubinam est Lorula mea bellula?« Psittacus capite seorsim verso in perticâ¹ sedens lapsus est ad amitam rostrumque suum istius ori infixit.

Quod equidem non fecisset, etsi ista amita mihi donasset saccum mâlorum aut placentam tortam.

At psittaci omnes sunt taediosi. Deliberavi, num etiam iste ad amitam allaberetur, si nonnullas pennis isti evulsissem, et qualis esset istius aspectus, si in propinquuo disploderetur fasciculus pulveris pyrii.

Fortasse amita animadvertisit, quid cogitarem, nam eadem conversa dixit: »Stude« inquit, »ut decenter cures Lorulam, puer male môrate!«

Tum ego: »Curabo eam« inquam, »quam decentissimê, cara amita.« Constiti autem et vocavi: »Lorula! Ubi es?« At psittacus statim absilit et in angulo considit et pedem tollit. Oculos autem raptim aperuit, quasi iam sciret me sibi mox daturum esse pulverem pyrium. Foras ii, et amita statim iit ad matrem meam in medianum.

Tum mihi in mentem vénit aliquid restare faciendum, et celerrimê ii in conclave amitae et ex urceo ôs complevi aquâ. Deinde ii ad caveam, et psittacus iterum seorsim lapsus est, et ego ei inspersi nebulam Hispanicam, ut collum contraheret² et âlis plausitaret.

Tum cito abii in medianum. Mater mea amitae dedit aliquid comedendum, et ambae inter se colloquebantur de valetudine suâ.

Amita dixit sibi valdê necessarium esse, ut pecuniae parceret, quia haberet tantummodo pauxillulum pensionis et nihil pecuniae. Se valdê gavisuram fuisse, si possessiunculam heredio acceptam haberet, sed Iosephum suum nihil salarii comparsisse, quia parum fuisse et quia Iosephus sigara fumasset et bis in septimanâ in cauponam isset. Neque se quid a parentibus accepisse, quia fratres sui disciplinis cognoscendis studentes nimium pecuniae consumpsissent.

Tum mater mea dixit patrem meum, cum studiosus esset, non multam pecuniam erogavisse.

Tum amita: »Unde hoc scis?« - Deinde mater mea: »Ille mihi saepe hoc narrabat. Qui in guminasio³ per horas discipulos instituebat, et cum esset in scholâ saltuariâ, docuit iuvenem baronem.«

¹ **pertica**, ae f. orig. *Stange*. cfr ThLL 10.1.2, 1784, s.v. pertica III, lin.70-1785,1 *significatur lignum oblongum formam asseris, baculi sim. praebens ... III in quo sedent aves (dicitur fere de parte aviarii)*: VARRO rust.3,5,4 in eis, sc. perticis ad parietem inclinatis, traversis,... modicis intervallis perticis adnexis (COLVM. 8,10,2, 8,11,4 PALLAD. 1,26,1). ...

² **collum contraxit**: orig. ...dass er den Kopf hineingesteckt hat. cfr CIC. Tusc.2,41 Quis mediocris gladiator ingemuit, quis vultum mutavit umquam? quis non modo stetit, verum etiam decubuit turpiter? quis, cum decubuisset, ferrum recipere iussus **collum contraxit**?

³ **guminasio**, -ī n. orig. *Schimnasium (rectê: Gymnasium; Thoma inducit matrem Ludovici mulierem non eruditam simpliciter loquentem verbi peregrini ignaram)*. Forma **guminasium** invenitur ap. VARRO rust. 1, 55, 4 codd. opt. (ThLL 06.2, 2379, 5).

Amita autem respondit »Hoc dixit, sed non fecit« et magnum frustum farciminis sublabravit¹.

Mater mea vehementer erubuit, mitrā capillis firmius affixā: »Nequaquam, Frida« inquit, »maritus meus in totā vitā suā ne semel quidem dixit aliquid non verum.«

Amita primo tacuit, ut farcimen posset masticare, et nasum perfricuit. Deinde perrexit loqui. »Si per horas docuit, velim scire, quonam modo tantum pecuniae consumpsert. Ego hoc melius scio, et nos tres sorores egestatem passae sumus, quia nulla possessio adfuit et nulla nostrum aliquid pecuniae accepit.«

»Cur semper loqueris de talibus rebus?« mater interrogavit.

Tum illa: »Quidni eloquar?« inquit, »Nil dico nisi verum. Exempli gratia *Römer* ille assessor me libenter aspectabat, qui nunc est Regiminis Consiliarius² Ansbacensis, et me in matrimonium duxisset, si quid dotis habuissem, sed quia nihil habui, nulli viro nubere potui nisi expeditori cursuali³.«

Tum mater: »At feliciter vixisti cum Iosepho tuo!«.

»Deus eum beatificet!« amita vocavit. »Satis feliciter viximus, sed ego nunc essem Regiminis Consiliaria Ansbacensis, nisi fratres nostri totam pecuniam consumpsissent.«

Evidem terribiliter stomachatus sum, quod ista tam malevolē loquebatur de patre nostro, et deliberavi, num fortasse iam hodie psittaco paraturus essem pyrotechnema⁴. An celeriter etiam isti avi aspersurus essem nebulam Hispanicam.

Sed amita surrexit, quia mater mea exiit, itaque animadverti me hōc momento dolum nectere non posse.

Amita autem per conclave ambulans omnia aspexit.

Sub cornibus cervi pendebat imago patris mei, qualis fuerat alumnus academicus. Qui erat instructus acinace magnisque caligis. Mater mea semper dicebat hōc fuisse aspectu illum, cum primo a se aspiceretur. Illo tempore studiosi fecerunt pompam faculas manu gerentes, et pater meus pompam duxit. Amita autem hac imagine aspectā: »En hīc« inquit »patet perquam dilucidē, ubi ille tantum pecuniae erogaverit!«

Deinde amita constitit apud arcā vestiarium. Ibidem Annula depositit photographema Domini Iudicis Officialis, et eodem statim conspecto amita ex me quaesivit: »Quisnam hic est?« Dixi eum esse nostrum Iudicem Officialem. Tum illa rogavit: »Quis est noster Iudex Officialis?«

Dixi esse eum, qui venire soleret, ut nobiscum cafeam biberet, eumque nomine esse *Doctoris Steinberger*.

Tum imagine sumptā amita dixit »Verumne? At iste mihi nullo modo placet, iam est calvaster et oculis est satis perversis et facies eius est tam crassa, ut videatur bibulus esse«. Mihi quoque ille *Steinberger* non valdē placet, quia mihi dixit oportere, ut decenter me gererem in sororem meam, alioquin me auriculis prehensum iri.

¹ **sublabrō**, āre: orig. in den Mund stecken. cfr Georges, Ausführliches Handwörterbuch Lateinisch-Deutsch, tom.II, Hannover 1976, col.2859, s.v.: **sublabro**, āre (sub u. labrum), in den Mund stecken, NOV.com.13.

² **Regiminis Cōnsiliārius**: orig. Regierungsrat. cfr Helfer, Lexicon Auxiliare, 3.ed., Saarbrücken 1991, p.452, s.v. Regierungsrat: regiminis consiliarius (i.e. Steinbach, Vollständiges Deutsches Wörterbuch vel Lexicon Germanico-Latinum, Breslau 1734,2,220).

³ **expeditō cursuālis** orig. Postexpeditor. Non est i.q. Briefträger (**tabellārius**, -ī m.).

⁴ **pyrotechnēma**, -atis n. orig. *Feuerwerk*. cfr Nicolaus Groß, *Glossarium Fragrantiae. Fundatio Melissae, Bruxellis a.2004*, p.310: „pyrotechnema, -atis n. orig. *Feuerwerk* (cap.8). Est spectaculum nocturnum, quo luces versicolores et crepitus efficiuntur accendendis variis capsulis pulvere pyrio completis.“

Saepe autem Annulae demonstro, quam limis oculis ille sit, et deinde illa lacrimare solet. Tamen stomachatus sum amitam nunc aliquid mali de illo dicere, quia iam mala dixit de patre nostro.

Deliberavi, num fortasse in coquinam irem et illis hoc dicam, sed si ita fecisset, cenam non fore bonam, quia mulieres semper exirent et lacrimarent, ut oculi iis lavandi essent. Itaque constitui, ut iis hoc dicerem cenâ finitâ.

Deinde mater mea in conclave iit et amitae manum porrexit et dixit se antea paululum stomachatam esse, sed se scire, rem fortasse non rectê factam et nunc transactam esse.

Amita autem naso fricato dixit non oportere, ut aliquis stomacharetur, si audiret veritatem. Nam ista amita est terribiliter improba.

Tum exii et mater mea vocavit: »Quo abis, Ludovice? Sumus cenaturi.« Ego autem dixi mihi celerrimê ediscendum esse verbum temporale irregulare, quia oblîtus essem, quomodo idem verbum coniugandum esset.

Tum mater mea clementer subrisit et dixit rectê fieri, ut studerem verbo irregulari ediscendo, et semper quam celerrimê esse alicui id faciendum, quod ut faceret sibi proposuisset.

Mater autem amitae dixit: »Heus Frida, puto Ludovicum nostrum nunc consilium concepisse firmissimum, ut quam optimê progrediatur in guminasio.« Sat magno cum strepitu conclave meum adii et ianuam aperui, sed deinde perquam submissê summisque digitis pedum ii in conclave amitae. Psittacus autem me statim conspexit, a perticâ absiluit, in angulum prorepsit. Cito hyalum aquâ complevi avemque adii et bis eam aspersi, ut ex âlis suis madidis aqua destillaret.

Tum psittacus oculos conclusit et terribiliter sibilavit, quasi ego sibilarem per digitos, et clamavit: »Lora!«

Tum properê foras exii, conclave meum ingressus librum sumpsi. Psittacus iterum sibilavit, et statim audivi ianuam mediani aperiri et amitam celeriter illuc euntem dicere: »Nescio, cur vocet Lorula.«

Deinde paulisper fuit silentium, sed tum illa clamavit in conclavi suo: »O quanta est ista improbitas! O misera bestiola mea!«

Tum amita matrem meam advocavit, ut adveniret spectatum, quam madida facta esset Lorula, quod a nemine fieri potuisset nisi ab isto puero male môrato et inutilissimo.

Qui puer sum ego.

Matre meâ conclave meum inspiciente ego murmurabam, quasi ediscerem formas verbi irregulares.

Tum ea: »Ludovice« inquit, »tune psittacum madefactasti?«

Evidem vultu prorsus distorto e libro meo oculos meos¹ levavi.

»Quemnam psittacum?« quaesivi.

»Psittacum amitae,« illa dixit. Tum aspectum praebui hominis prorsus laesi atque offensi. Dixi autem, cur ego semper accusarer, mene nihil fecisse nisi edidicisse verbum irregulare, et nunc subito me accusari psittaci madefactati.

Amita etiam ad ianuam advénit et vocavit:

»Quisnam hoc fecit nisi tu?« Dixi me hoc nescire, fortasse hoc fecisse *Michaelem* fabrum scriniarium, qui haberet siphonem lignarium, quo iaculari posset per ingens spatium.

¹ Et levavi oculos meos et vidi VULG.Dan.10,5.

Amita dixit, ut secum irem, ut hanc rem investigaret, et mater etiam nobiscum iit.

Cum conclave intraremus, psittacus statim caput sub alas abdidit et terribiliter sibilavit et oculos versus me detorsit.

Tum amita clamavit: »Viden, is hoc fecit! Lorula mea tam prudens est!«

Mater mea: »At Ludovicus« inquit, »studuit verbo suo irregulari ediscendo!«

Deinde amita: »Tu« inquit, »semper credis liberis tuis. Itaque isti tales facti sunt, quales sunt.«

Ego autem per fenestram despiciens¹ dixi me putare Michaelem super saepimentum horti aquam sparsisse ad nos, quia fenestra aperta esset. At amita contra dixit saepimentum esse nimis remotum, fenestram nostram nimis altam, neque in eādem esse ullum aquae vestigium, sed eandem esse ne pauxillulum quidem madidam.

Dixi Michaelem esse collineandi peritissimum, sed me ipsum nullo modo hoc fecisse.

Tum Annula vocavit, ut cenatum veniremus, sorbitionem iam mensae esse impositam, itaque nos iimus cenatum.

Psittacus autem semper se quassabat et pennas erigebat, et amita dixit: »Lorula mea ne sollicitetur. Evidem non iam patiar Lorulam madefactari.«

Et eadem me aspectavit vultu torvissimo, necnon psittacus me aspectavit vultu torvissimo.

At ego cogitavi istum etiam torviore vultu me aspecturum esse pulvere pyrio disploso.

Cum cenaremus, amita adhuc erat irā incensa; quod patebat summo naso eius perquam albicante et sorbitione, quam eadem cochleari vehementer peragitabat.

Mater mea dixit ne illa desineret gaudere de adventu suo.

Tum amita dixit se omnis gaudii esse expertem, si primo vituperaretur, quia verum dixisset, et deinde, si bestiola sua auxilii expers terneretur mortiferē.

Tum mater mea: »Ah Frida!« inquit, »huic avi nihil accidit nisi id unum, quod madefacta est!« Annula autem dixit nulli avi nocere paululum balneari.

Tum amita dixit se nequaquam mirari nos omnes tam hostiles esse, quia iam esset consueta ad hanc rem, et quia fratres sui tales fuissent et totam iam pecuniam consumpsissent.

Amita autem se lacrimare simulavit et oculos detersit. At reverā nullae lacrimae eius oculis infuerunt. Quod clarē vidi.

Deinde mater mea gloris suae tam vehementer miserita est, ut diceret nos omnes eam diligere, quia esset soror Attae nostri carissimi, et ut domum nostram domum suam putaret².

Tum amita dixit se nobis nunc velle ignoscere, et non iam velle cogitare de omnibus istis molestiis, quae sibi a familiā essent iam allatae.

Subito amita est exhilarata, et cum assum sibi esset propositum, fuscinulā indicavit arcām vestiariām, ubi fuit imago Steinbergeri, et interrogavit: »Quis est iste vir foedus?«

Mater mea »Ubi?« quaesivit. Amita respondit: »Iste vir arcae vestiariae impositus.«

Mater mea prorsus erubuit, et Annula prosiluit et foras cucurrit, et per ianuam auditus est sororis fletus.

1 cfr VULG.iud.5,28 per fenestram prospiciens ululabat mater eius et de cenaculo loquebatur

2 cfr MART. 4,64,25 Hoc rus, seu potius domus uocanda est, commendat dominus: tuam putabis, tam non inuida tamque liberalis, tam comi patet hospitalitate: nostrisque rebus ut suis uteretur. cfr PLIN.epist.6,28,3 Dices oportere me tuis rebus ut meis uti. Etiam: sed perinde illis ac meis parco.

Mater mea mitellâ ordinatâ dixit Steinbergerum saepe nos visitare eundemque nequaquam esse foedum.

Tum amita: »At iste est calvus necnon est oculo sinistro perverso.«

Mater mea: »Qui non est« inquit, »strabo, hoc photographema est male confectum, et semper feliciter accidit, si quis eum noverit, quia est vir probissimus.«

Tum amita dixit se nolle in familiâ rixam efficere propter virum extraneum, sed se non credere istum esse probum, quia praeberet aspectum viri cervesiam nimis amantis¹.

Tum mater mea etiam exiit, et apud ianuam constitit et dixit se consilium firmê concepisse, ne hac in mansione cum amitâ bellum gereret, sed hoc esse ingentis difficultatis.

In androne amita cum Annulâ collocuta est; hoc audivimus, et Annula maiore maioreque cum strepitū lacrimabat².

Amita autem cenare non desinebat et iterum iterumque caput quassabat, quasi vehementer miraretur.

Eadem ex me quaesivit, num Annula iam diu tam vehementer aegrotaret. Ego: »Ea« inquam »omnino non aegrotat.« At illa: »De hac re« inquit, »tu nihil scis.« »Soror tua valdê laborat ex nervis suis defectis, quia subito non potest, quin lacrimet, et ego iam dudum dicebam illam esse imbecillam, alioquin etiam vidulum meum portavisset.«

Deinde mater mea subito reversus cito vocavit Iudicem Officiale venturum esse ad cafeam bibendam, seque amitam orare, ut esset urbana.

Tum animo laeso amita dixit, num mater crederet se esse parum urbanam, quia nupsisset expeditori cursuali? Se certo scire, quomodo deceret se gerere, ceterum aliquem iudicem officiale non multo pluris valere quam expeditorem.

Mater mea semper spectabat versus ianuam, num fortasse iam aperiretur, et susurrabat, ne amita clamaret, illum iam in scalis versari, sed ipsa hoc non putavit, sed dixit, quia amita credit Steinbergerum esse foedum.

At amita non submissius locuta est³, sed magnâ voce dixit: »Nemo est pulcher, qui calvus est et strabo.«

Tum mater mea desperatê lacunar aspectavit fletura, sed subito ianua aperta est et Steinberger intravit necnon Annula, eiusque oculi adhuc erant rubri.

Matri meae nunc non iam licuit flere, sed eadem cōmiter subridens: »Domine Iudex Officialis« inquit, »valdê gaudeo, quod advenisti, et apud te introduco caram glorem meam, de quâ tibi iam narravi.«

Steinberger autem dorsum deflexit, et amita eum aspectavit, quasi ei conjectura esset novam synthesis vestium.

1 **quia praeberet aspectum viri cervesiam nimis amantis:** orig. *weil er so aussieht, als ob er das Bier gern mag.*

2 **maiōre maiōreque cum strepitū lacrimābat:** orig. *hat immer lauter geweint.* cfr OV. Met. 7,639

crescere desubito et **maius maiusque** videri

3 **nōn submissius locūta est:** orig. *hat aber nicht stiller geredet.* cfr <http://lexica.linguax.com/forc2.php?:searchedLG=submisste>: Submisste est remisse, leniter. ¶ 1. Dicitur de voce. Petron. Sat. 105. *sub fin.* Sciscitari submissius coepit, quod ergastulum intercepisset errantes. Cic. Orat. 8. 26. Demosthenes in illa pro Ctesiphonte oratione summissius a primo; deinde quum de legibus disputat, pressius; post sensim incendens, judices ut vidit ardentes, in reliquis exsultavit audacius. Orell. submissus. Claudian. B. Gild. 247. si signa petisset Obvia, defecto submissius hoste dolerem. h. e. minus. ¶ 2. Item de oratione, ut *submisste dicere*, stilo dicendi subtili, tenui et sine ornatu uti. Cic. 2. Orat. 53. *a med.*

Deinde autem *Steinberger* dixit se gaudere, quod amitam cognosceret et sperare se ipsum eidem placitum esse. Illa autem dixit se quoque hoc sperare, et nisi quis quid mali facturus esset psittaco suo, sibi quoque placere hōc loco versari.

Steinberger autem haec verba non audivit, quia Annulam aspectavit, et quaesivit, cur illius oculi essent rubri.

Annula dixit sibi reparandum esse focum, quia fumaret terribiliter. Tum amita dixit, ne Annula cibos coqueret, quia ei essent nervi nimis infirmi, et quia ea esset imbecilla.

Tum mater mea oculis iratis in amitā defixis rogavit: »Quid tu scis de nervis? Deo gratias ago, quod Annula est puella omnium valentissima et omni die cibos coquit et facit omnia opera domestica.«

Tum amita risit, quasi hoc melius sciret, et deinde consedimus et Annula exiit cafeam coctum.

Steinberger autem ex amitā quaesivit, ubi habitaret, et illa dixit se habitare *Arioduni*,¹ quia ibi habitatio esset tam vilis sibique esset pensio tam modica, et deinde ex Iudice Officiali quaesivit, num quando fuisset *Ansbaci*, et ille dixit se iam ibi fuisse. Tum amita ex illo quaesivit, nonne novisset *Römerum* Regiminis Consiliarium, et cum ille respondisset se *Römerum* ignorare, amita dixit, se non posse quin miraretur, nam illum esse perquam bene nōtum. Tum *Steinberger* dicit se semel tantum pervectum esse *Ansbacum*, et mater mea dixit, itaque fieri non potuisse, ut *Steinberger* novisset officiales *Ansbacenses*.

At amita dixit *Römerum* esse officialem altioris gradus, eundem esse sub praeside officialem proximum, ideoque necessarium esse, ut nosceretur. Necnon amita narravit paene futurum fuisse, ut ipsa nuberet *Römero*, sed hoc fieri non potuisse, quia ipsa esset e gente nata, in quā omnes filii studerent disciplinis cognoscendis. Mater mea alioquin semper ibat in coquinam et sinebat Annulam medianum introire, quandocumque *Steinberger* aderat, sed illo die non exiit.

Puto eam non ausam esse abire, ne amita cito aliquid diceret indecorum, ideoque mater semper in sessibulo sedens huc illuc labebatur et ex amitā quaesivit, ut valeret *Maier* saltuarius, num bene valeret eius uxor, et ubi eorum liberi essent, et num adhuc ei esset pulcher ille canis gallinarius; tum amita non potuit, quin semper responderet, et quando finiverat, volebat cito alloqui *Steinbergerum*, sed mater mea statim aliquid aliud ex illā quaerebat.

Tum *Steinberger* surrexit et dixit se velle videre, num focus adhuc fumaret.

Cum ille foris esset, mater mea laetē risit dicens illum esse semper urbanum.

Amita autem dixit photographema *Steinbergeri* sibi videri pulchrius quam verius, quia ille reverā esset oculis etiam perversioribus.

At mater mea non iam stomachata est nihilque nunc quaesivit ex amitā de *Maiero* saltuario eiusque liberis et sedulē acu pingebat.

Tum Annula intravit cafeam pocillaque apportans, et *Steinberger* eam sequens quaesivit, num posset adiuvare.

Deinde cafeam bibimus, et mater mea ridebat, quandocumque *Steinberger* aliquid dicebat, et Annula ridebat, sed amita non risit, et semper nasum fricabat.

Mater mea quaesivit, num cafea saperet, sed illa dixit se hoc nescire, quia non esset assuefacta ad cafeam, quia modicā suā pensione non posset emere cafeam fabaceam.

¹ **Ariodūnum**, -ī n. orig. *Erding*. cfr Francisci Pomay Cornu copiae sive Magnum Dictionarium Regium. Augustae Vindelicorum 1785.

Tum *Steinberger* dixit, se hoc dolere, nam cafeam esse omnium rerum optimam, praesertim cum Dominula Annula eam coxisset.

Amita autem ex eo quaequivit, num semper cafeam tantopere dilexisset, et ille dixit, semper eam dilexisse. Tum illa risit et dixit se hoc non credere posse, quia studiosi libentissimē biberent cervesiam.

Tum ille etiam risit et dixit se non multum cervesiae bibisse, quia debuisset industriosum esse nec multum pecuniae habuisse.

Sed amita iterum dixit se hoc non credere.

Tum mater mea: »Cur« inquit, »hoc non credis? Nonne multi sunt alumni academici, qui non bibant cervesiam? Dominus Iudex Officialis non vacabat huic rei facienda et debebat pecuniae suae parcere.«

Sed amita: »Hoc« inquit, »iam bene scio, quomodo pecuniae parcant alumni academici. Si nihil iam habent, iubent cauponem debita sua notare. Hoc nemo melius scit quam puella, cuius tres fratres student disciplinis cognoscendis. Dominus autem Iudex Officialis tantulum capillorum habet in capite, ut credam eum tempore studiorum certē laetē vixisse.«

Annula autem vociferata est: »O amita!« Mater mea autem vocavit: »O Frida!« At illa: »Quidnam« inquit, »reclamatis? Per iocum hoc dico, sed verum est calvescere homines vitam laetos degentes necnon bibulos.«

Cogitavi Steinbergerum stomachari. Sed idem risit et dixit se iam saepe in hanc suspicionem venisse, sed aliquando cum in morbum incidisset, calvum factum esse.

Qui mox surrexit grpheum suum petiturus, et matris meae manum osculatus et coram amitā dorsum declinavit meique auriculam laetē arripiens dixit: »Te geras decenter, si quidem hoc tibi contingat, latruncule!«

Annula eum comitata est usque ad ianuam domesticam¹; cum sōli essemus, mater mea dixit: »Eheu Frida, vera excetra es! Si ille nunc animo laeso est, numquam tibi ignoscam.«

Tum etiam Annula revēnit et statim incidit in stibadium et flevit et dixit se credere Steinbergerum numquam venturum esse ad cafeam bibendam, nam eum multo prius solito abiisse.

Amita etiam pocillum cafeā complevit et dixit se nullam umquam vidisse familiam nervis tam defectis instructam quam nostram, seque mirari nescientem, unde hic defectus exortus esset.

Tum cogitavi me quidem effecturum esse, ut illa lacrimaret, et celeriter exii. E conclave meo mecum abstuli pulverem pyrium, et funiculum igniarium etiam habui, quia saepe non possum, quin in silvā displodam formicetum².

Pulverem pyrium chartae involvi, cui infixi funiculum, et deinde inii conclave amitae omniaque imposui caveae. Funiculus tam longus fuit, ut arderet per quinque minutias, et ex caveā dependebat.

Cum fasciculum pulvere pyrio completum imponerem caveae, psittacus in summam caveam nixus rostrum suum raptim aperuit et feliebat more cattae.

Iterum in andronem egressus auscultando expertus sum, num quis venturus esset, sed magnum erat silentium.

¹ **ianua domestica:** orig. *Haustür*. cfr ThLL 05.1,1865,78sqq., s.v. *domesticus*: I generatim: A ad domum (aedificium) vel sedem, habitationem pertinens; 1 quae ad domum vel domus habitationem pertinent, quae domi sunt, fiunt, aluntur sim. (res vel animalia...)

² +**formicetum**, -ī n. <http://ducange.enc.sorbonne.fr/formicarium>: „**FORMICARIUM**, Locus formicarum, quod et formicetum dicitur, Ugutioni. *Formicaio*, Italis.

Tum redii in conclave amitae et ramentum flammiferum accensum apposui funiculo. Statim fumavit. Psittacus nunc perticæ insidens capite semoto me observabat attentissimè. Unum oculum compressit, alterum horribiliter in me defixit. Funiculo incendiario fumante psittacus allapsus caput suum per cancellos caveae protendit et prospexit explorans, quid fumaret.

Cogitavi psittacum hoc mox sensurum esse et cito evasi, sed cum mediano appropinquarem, lentè ii et medianum quietè intravi, quasi nihil factum esset.

Annula adhuc flebat, mater mea erat facie rubrâ, amita cafeam bibebat. Puto eas non animadvertisse me abesse.

Amita modo dixerat se iam scire se non diligi a familiâ nostrâ, sed sic semper fratres gratias agere studiis universitariis finitis et pecuniâ totâ consumptâ; deinde istos sorores non iam curare.

Tum mater mea dixit patrem nostrum certê illam curasse et saepe dixisse se dolere, quod Frida nusquam posset manere propter sermones suos malevolos.

Hôc audito amita ligulam cafeariam in mensam proiecit et clamavit: »Si istud est verum, dixit improbissimum! En tantum mali fecisse sorori! Primo pecuniam dilapidasse et deinde ...«

»Pfff–uum!«

Subito fragor factus est fucus, et ancilla coquinaria statim territa clamavit et properavit ad nos, et ianuâ apertâ terribiliter foetuit pulvis pyrius et andron plenus fuit fumi.

Oblîtus enim eram ianuam conclavis claudere.

Puella vocavit aliquid esse displosum, sibi videri aliquid ardere. »Ubi? Ubi?« Annula clamavit.

»Per Dei voluntatem¹, ubi sunt siphonarii?« mater mea clamavit.

In andronem cucurrimus, ubi vidimus fumum venire ex conclavi amitae, et amita incurrens clamitavit, quasi verui affixa esset.

»Per Dei voluntatem, quid nunc factumst?« mater mea dixit, et infirmata non iam prodiit. Dixi me velle eam adiuvare et apud eam mansi. Annula iam revênit ex conclavi et vocavit: »Quiescas, Mammula! Nihil est afflictum nisi psittacus!« Tum amita ex conclavi rapidê evecta clamavit: »Quid dicis, nihil nisi psittacus? Tu crudelissima!² Tu immanissima!«

1 Per Deī voluntātem: orig. *um Gottes Willen*. VULG.Paulus2 Timotheus1: Paulus Apostolus Jesu Christi **per voluntatem Dei**, secundum promissionem vitae, quae est in Christo Jesu. - IRENAEUS, Adversus haereses „ [...] dominus omnium dedit apostolis suis potestatem evangelii [...] quibus et dixit dominus: «Qui vos audit me audit, et qui vos contemnit me contemnit et eum qui me misit.» [...] quod quidem tunc praeconaverunt, postea vero **per Dei voluntatem** in scripturis nobis tradiderunt, fundamentum et columnam fidei nostrae futurum.”, haer. III, praef. – III,1, FC 8/3, 20,20 – 22,5

2 De usu pronominis personalis, q.e. TU: sensu casūs vocativi: cfr Forcellini a) Nom. *tu* usurpat, quoties persona, qua de agitur, praecipus notatur aut **ad majorem vim vel emphasim significandam**, aut ad personas distinguendas sibique opponendas, aut quoties verbum deest. *Enn. Ann. 100. Vahl.* Nec pol homo quisquam faciet hoc nisi *tu*. (Cf. *Virg. 9. AEn. 422. Id. ibid. 6.* Unus erit quem *tu* tolles in caerulea caeli Templâ. *Plaut. Stich. 5. 4. 49.* Ego *tu* sum, *tu* es *ego*: uni animi sumus. *Id. Bacch. 5. 2. 37.* Tu tuum facito, ago meum. *Ter. Andr. 2. 1. 10.* Tu si hic sis, aliter sentias. *Id. ibid. 3. 2. 55.* Propera *tu*, mea Canthara, curre. *Id. Eun. 4. 3. 22.* Tam infandum facinus, *mea tu*, ne audivi quidem. *Cic. Fat. 2. 3.* Non *tu* quidem, ut spero, reliquisti. *Sall. 4. Hist. 61. D.* Si *tu* Armenia, nos Mesopotamia etc. *Virg. 1. Ecl. 4.* nos patriam fugimus: *tu* lentus in umbra. *Horat. 1. Ep. 10. 6.* Tu nidum servas, ego laudo ruris amoeni Rivos. *Id. 1. Od. 9. 15.* nec dulces amores Sperne puer, neque *tu* choreas. *Id. 2. Sat. 2. 20.* Tu quaere - sudando. *Id. 1. Ep. 18. 44.* tu cede imperiis. *Ovid. 1. Trist. 1. 25.* Tu cave, defendas. *Juvenal. 2. 61.* Tu nube atque tace. *Plin. 1. Ep. 22. 12.* Tu scribe. *Vellej. 2. 66. 4.* Rapuisti *tu* Ciceroni lucem sollicitam. *Plaut. Cas. 3. 5. 18.* Jam tibi istuc cerebrum dispercutiam, excetra *tu. vipera che tu sei.* Sic *Pers. 2. 4. 7.* Nescio, inquam, ulmitriba *tu*. — Eleganter bis terve repetitur. *Plaut. Merc. 4. 2. 98.* *Tu, tu istic. inquam, vin afferri noctuam, Quae tu tu usque dicat tibi?* nam nos jam defessi sumus. *Cic. Rabir. perd. 4. 13.* *Tu mihi etiam legis Portiae, tu C. Gracchi, tu horum libertatis, tu cujusquam denique hominis popularis*

Tum Annula: »Mammae« inquit, »dixi nullum esse incendium, ut quiesceret«.
 »At bestiola nunc sedet in caveâ suâ pulvere pyrio aspersa et ista dicit nihil esse nisi psittacum! Tu crudissima!« amita clamavit.

Mater mea: »Quiescas, Frida! Fortasse damnum non est nimis malum.«
 »Vos omnes unâ colluditis!¹« amita clamavit, et deinde in me invecta etiam maiore voce clamavit: »Tu es interfector! Tu es interfector infamissimus!«
 »Noli Ludovicum increpitare!²« dixit mater mea. »Qui est prorsus innocentissimus; nam infuit conclavi suo.«

Ego dixi me iam consuetum habere, quod amita semper mihi culpam attribueret, et quia hoc mihi vehementer displiceret, me prorsus nihil iam dicturum esse. Me adhuc omnino nescire, quid factum esset.

»Tu hoc bene scis!« amita clamavit. »Tu hoc fecisti, nemo hoc fecit praeter te. Itaque tu puniendus es, etsi mater tua mihi supplicabit genibus flexis!«

Mater mea: »Nihil tibi supplico nisi ne tam vehementer clamites.«

Nunc nos etiam vénimus in conclave; fumus iam per fenestram evolaverat, sed adhuc foetebant pulvis pyrius et pennae combustae.

Psittacus autem sedebat in fundo caveae, sed neque iam erat coloris viridis neque rubri. Qui erat prorsus nigerrimus. Pennae caudales erant combustae et oculi erant tantae magnitudinis, quantae sunt oculi ululae. Psittacus erat perquam tranquillus meque aspectabat. Puto eum vehementer miratum esse de fragore displosionis.

Mater mea dixit: »At is vivit! Certê reconvalescet³«.

Amita autem clamavit: »Non in istâ domo!. «. »In istâ domo immanissimâ miseram hanc bestiolam ne uno quidem die relinquam! Hodie iam abibo!«

Et profecto abiit.

Fons: Ludwig Thoma: Gesammelte Werke in sechs Banden. Band 4, München 1968. Permalink: <http://www.zeno.org/Literatur/M/Thoma,+Ludwig/Erz%C3%A4hlprosa/Tante+Frieda.+Neue+Lausbubengeschichten/Tante+Frieda>

Narratiunculam Amitae Fridae (“Tante Frieda”) a Ludovico Thomâ scriptam Latinum convertit Leo Latinus. Interpres summas gratias agit Maximiliano Pulchro Mystagogo Augustano pro lectione versionis attentissimâ et commentatione uberrimâ; Ansgario Osloensi et Ioanni Carolo Rossi et Marco Cristini et Naevio Sartorio, qui argumentum huius narratiunculae mentis acumine philologo explanantes cum aliis fabulis litteraturae mundanae scitê atque facetê comparaverunt (v. eorum Epistulas).

mentionem facis? *Catull.* 68. 21. Tu mea tu moriens fregisti commoda, frater. *Phaedr.* 3. 8. *extr.* quotidie speculo vos uti volo: Tu, formam ne corrumpas nequitiae malia: Tu, faciem ut istam moribus vincas bonis.

1 **Vōs omnēs ūnā collūditis!** orig. *Ihr helft alle zusammen!* cfr ThLL 3,1658, s.v. colludo: *B translate i. q. lusorie agere, praevericari, fraudi una interesse, ex composito fallere, tam in iudicio quam extra id:*

2 **increpitō**, -āre: trans., e.g. CAES. Gall.2,30,3 increpitare atque incusare reliquos Belgas.

3 **reconvalescō**, -ere: cfr Forcellini: <http://lexica.linguax.com/forc2.php?searchedLG=reconvalesco> **RĚCON-VÄLESCO**, scis, scere, n. 3. iterum convalesco. *Ennod.* 1. *carm.* 10. Nigrante tectam pallio Jam terra noctem suscipit, Ut viva dulci funere Reconvalescant corpora.

ECHUS VOCES & EPISTULAE

ALEXIUS VESTIGIARIUS

d.29. m.Apr. a.2023, h.20:13

Alexius Slednikov (sive Vestigiarius) D.ri Nicolao Gross S. Q. P. D.

Perplacuit mihi acroasis tua, vir Latinissime, necnon ipsa sessio hodierna, immo gaudeo me consuetudinem tecum tandem comparare mihi posse! Saravipontanos enim valde amo, ab anno 2005 fruor commercio epistulari cum Sigride, quam habeo Latinae linguae magistrum meam (ei primum Theodisce scripsi, dein nonnullis verbis locutionibusque Latinis insertis, denique Latine). At Pater Caelestis et Christianus Helfer semper mihi in corde. - Te autem sumnum lexicologum esse iam dudum scio, tota serie Vocis Latinae bene mihi nota, at in fasciculis annis septuagesimis editis legi indices quos composueras de rebus huius nostrae aetatis, utputa Esculenta et Potulenta, etc. - Ergo mitto tibi librum Prof.ris D.ris Alexii Solopov (qui et Scatebranus Rutenus), idemque et procurator cathedrae phologiae classicae apud studiorum universitatem Moscovensem Lomonossovianam. Hic tractat artem Latine scribendi, additis duobus utilibus lexicis a seipso compositis; alterum spectat ad locorum nomina (pp. 421-597), alterum ad nova verba Latina (pp. 604-656). In inspicioendo videbis eum esse studiosum purae Latinitatis, permultis ex Graeco fonte assumptis v. gr.: non televisorium, sed teleopter (p. 645), neque machina lavatoria (quam sciamus iam ex Hispanis Claretianis), sed plynter (p. 643). Iaroslaviam urbem meam dicit Georgiopolim, cum pseudolatina -sl- ei displiceant (p. 589). Utique liber eius perutilis est et magni momenti, ipse autem vir humanissimus qui et Latinitati vivae favet. - Bene, multa istuc addere velim, sed hoc loco potius epistulae finem faciam, ut rem ipse perscruteris. - Optime vale! Sigrides nunc iterum iterumque apud Otilienses versari dicitur, videtur iam paene totam archiabbatiae historiam Latine enarrasse. **Iterum vale! - Alexey Slednikov**

d.29. m.Apr. a.2023, h.22:11

Nicolaus Alexio sal.pl.

Gratias plurimas pro litteris tuis. Care Alexi, animadverto nos habere multas materias communes, quas tractare possimus litteris prolixis. Opus Solopovianum exspecto animo suspenso. Nonne habes scripta Latina, quae divulgare cupias? Libenter tibi praebeo Epistulas Leoninas, ut scribas quidquid tibi in buccam venerit. Vale pancratice et perge mihi favere. **Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus.**

d.04. m.Maii a.2023, h.14:33

Leo Vestigiario suo sal.pl.

Accepistine, care Alexi, Epistulam Leoninam 276 salvam integrumque? Vale semper et perge mihi favere. Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus**

d.04. m.Maii a.2023, h.15:59

Alexius D.ri Nicolao Gross s.q.p.d.

Pro epistulis tuis gratias tibi, doctissime vir, quam plurimas ago, me non statim rescribentem habeas quaeso excusatum. - Hercle magno cum gaudio fasciculum tuum accepi, quo inspecto multa lectione digna video.

Periodicum istud, ut verum fatear, prorsus ignoraveram! Optimum est te epistulari commercium vulgandum curare, utinam et in Voce Latina ista pars servaretur! - Vidistine primae epistulae meae librum Alexii Solopov sub forma PDF adiunctum? Is maxima ex parte Russice scriptus est, lingua vobis rariore atque intellectu difficiliore. At scripta sua Latine aut Anglice vulgare auctor proh dolor non vult! - Etiam gratias tibi magnas ago, quod pro humanitate tua licet aliquid scribere quod in Epistulis Leoninis vulgetur. In praesenti mihi succurrit quaedam narratio de retiali grege nostro Latinitati vivae fovendae. Ecce mitto tibi paeconium Aledarii nostri, addito nexu: <https://vk.com/aledarivm> Ergo si licuerit, narrabo de incepto nostro, qui et quot simus, quod sit nobis propositum, quas provincias tractemus quasque res vulgemus, quas difficultates habeamus etc. - Etiam addo librum meum de Latinitate viva, qui ex dissertatione doctorali natus est. Res, eheu, iterum Russice scriptus... Ceterum recte agit Carolus Livenius (summus historicus Latinitatis vivae, sententia mea) dissertationes suas utraque lingua, Anglice et Latine scilicet, scribens. Evidem hoc variis ex causis non valui. - **Sed iam finem epistulae faciam, tu autem cura, ut quam optime valeas!**

d.04. m.Maii a.2023, h.16:29

Nicolaus Alexio sal.pl.

Gratias plurimas, care sodalis! Ignosce, quod appendicem epistulae tuae nuper mihi missae multis aliis rebus deditus non aspexeram! Scilicet me vehementer gavisurum esse scriptis tuis publicandis. In argumento eligendo sit tibi summa libertas. Maxime gaudebo aliquid a te Latine scriptum legens, quod nemo alias auctor Latinus mihi symbolas missurus scribere scit. E.g. aliquid specifice russicum. Ceterum est mihi amicus iurisconsultus qui helluatur in classicis fabulis Russicis legendis, praesertim Tolstoianis et Turgenievianis. Idem venator cum sit, gaudet scaenis venandi apud hos auctores descriptis. - Haec hactenus raptim, certe mox multo plura. Vale basilice, medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus**.

d.14. m.Iun. a.2023 h.09:26

Alexius D.ri Nicolao Groß s.p.d.

Pro hesterna Epistula Leonina, vir humanissime, necnon pro priore duabus fere septimanis ante accepta gratias tibi ago atque habeo! Ignoscas, quaeso, silentium! Modo modo incohantibus feriis totus aliis amissis versor in scribendo libro scholastico Latinitatis Christianae. Cras fusius rescribam variis de rebus. **Ergo in crastinum, valeas quam optime!**

d.14. m.Iun. a.2023 h.09:26

Nicolaus Alexio sal.pl.

Gratias plurimas, care Alexi, pro nuntio tuo. Gaudeo, quod Epistulae Leoninae tibi rite allatae sunt. Utinam liber tuus scholasticus crescat et floreat! Si vacabis, scribas de argumentis Leoninis quidquid tibi in buccam venerit. Semper laeto animo accipiam sententias tuas, etsi - quod certe aliquando fieri poterit - meis adversas contrariasve. Nam si semper solum consensus, in animos irrepunt situs et senium et monotonia quibus languescamus. Utinam sit nobis Latinitas refugium libertatis atque humanitatis, ubi mutuo nos certiores faciamus de sensibus atque cogitationibus nostris. Vale semper basilice et pancratice, mi care Vestigiari, et perge veritatem investigare necnon mihi favere. **Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus**

d.01. m.Iul. a.2023 h.12:22

Alexius D.ri Nicolao Groß s.q.p.d.

In primo mihi tam diu silenti rogo ignoscas, vir humanissime! Et iterum habeas me, quaeso, excusatum! In praesenti sum in commeatu et totus vessor in scribendo libro scholastico linguae Latinae Christianae. Properato opus est, nam his insanis temporibus quis sciat, quid sit futurum cras? Talis autem liber fieri debet, est quasi munus meum Latinitati ferendum. - Die 26 prioris mensis epistulam circummisisti rogans de seditione Prigoziana quid sentiremus. Certe etiam nos linguae Latinae famuli tantis gestis excitamur ad disputandum de rebus politicis, eo magis qui in Russia habitat. Ceterum perfecta sententia tua dicam me tibi assentiri. Ipse quidem de illa demum seditione vix quidquid certi dicere possum, potius narrabo quid in universum sentiam de rebus a nostratis gestis. - Similia bello orto scribebam Sigridi, Gaio cum Francisca, nonnullis aliis. Quod ergo attinet ad condicionem nostram, diviso populo alii (qui plures esse videntur) bello consentiunt principem habentes quasi sospitem patriae, alii autem pauciores dissentimus. Mihi ea quae ex nostratis fiunt valde displicent, principem cum suis habeo summum provocatorem hominemque scelestum, qui potestatem sibi usurpaverit, erga Occidentem semper discordiam petat, populum nobis olim fraternum interficiat et ruinam Russiae paret. Appropinquare videmur aetati Stalinianae multiplicatis foedis rebus: discordibus persecutis, indicibus excitatis, conscriptis e populo militibus in bello interficiendis (prima unda facta novae exspectantur).

Ego hac condicione praesidium mihi Ecclesiae et Latinitatis vivae quaero, i.e. vivo Christo et lingua Latina. Pro periodico tuo autem et amicitia Latina semper gratias!

Cura, ut optime valeas! Alexius

d.01. m.Iul. a.2023, h.15:16

Nicolaus Alexio suo optimo sal.pl.dic.

Alexi carissime, gratias plurimas pro responso tuo, quod patet ex abundantia cordis esse scriptum. Licetne idem publicare? Nam mihi semper cordi est talia documenta Latinitatis vere vivae Latinophilis monstrare, ut habeant exempla Latine scribendi et incitamenta disputandi. Quod attinet ad sententias afferendas, semper studeo proverbium illud sequi Romanum q.e.: AUDIATUR ET ALTERA PARS. Ceterum maxime mihi placet id quod Voltarius poeta et philosophus Francogallus dicitur dixisse (non verbatim, sed sensu): 'Domine honorabilis, ut verum confitear, ea quae tu sentis, mihi omnino displicent. Tamen pro certo habeas me semper ius tuum sententiam tuam libere dicendi defensurum esse idque etiam periculum mortis subeuntem.' Valde commoveor Voltarii sensu liberalitatis iustissimo atque fortissimo, sed dolenter animadverto plerosque homines a tali sensu esse remotissimos. Quales textus Latinos tu scribere soles? Scribisne etiam fabulas aut fabularum versiones Latinas? Qualescumque Latinos mihi miseris, libenter divulgabo. Utinam quam felicissime tibi succedat compositio libri scholastici linguae Latinae Christianae. Nondum certo scio, quale genus librorum scribas. Estne collectio textuum Latinitatis Christianae a te convertenda et explicanda? An est historia Latinitatis Christianae? An liber, in quo describis et explicas specialitates auctorum Christianorum lexicales, grammaticas, stilisticas?

Nunc statim scribas, quaeso, num mihi liceat sententiam tuam publicare. Vale semper pancratice, mi care amice. Miserias nostrae aetatis perfer et obdura, sit tibi solacio commercium litterarum Latinarum. **Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus.**

d.01. m.Iul. a.2023, h.20:23

Alexius D.ri Nicolao Groß sal. pl.

Gratias tibi plurimas ago pro epistula modo perfecta. Scilicet licet priorem meam vulgare. Scilicet ea quae scripsi Latine, numquam Theodisce scribebam tibi, Sigridi aliquis nostratus. Sed Latina lingua non tam perspicua est. **Vale plurimum, propero ut responsum tibi detur!**

d.4. m.Iul. a.2023, h.14:00 +03:00

Nicolaus Leo Latinus Alexio suo optimo sal.pl.dic. s.v.b.e.e.v.

Iterum tibi gratias ago et plurimas pro opere Professoris Alexii Scatebrani copiosissimo mihi misso. Huius operis praefationem Latinam ob elegantiam sermonis et gravitatem argumentorum velim in proxima Epistula Leonina (280) divulgare.

Unus tantum locus huius praefationis mihi est incertus: P.10, lin.2 Scatebranus affert numerum Romanum, qui est MDCXL (1640). E contextu sermonis concludo eum voluisse scribere numerum MDCCCXL (1840). Nonne ita est? An erro? Hoc mihi scribas, quaeso.

Hunc recessum minime tamen aequali cursu progredi et momenta quaedam sua habere animadvertisi, in quibus discrimen maximum in saeculi XIX decennium quartum cecidisse ita, ut, cum anno MDCCCXXXI permulti libri et commentationes doctae in ephemeridibus volgatae Latinae etiam sint, disputationesque Academicæ in quavis fere disciplina Latine plerumque quam habitæ tam scriptæ, anno MDC~~CC~~XL iam paucissimi viri docti reperirentur qui ab hac recta via non decessissent, et maxime utriusque linguae grammatici et herbarii et medici, perraro iuris consulti; quin etiam, complures videmus homines eruditos decennio illo ineunte Latine, vertente vero barbare opera sua concepisse.

Praeterea valde delector Indice nominum geographicorum (Sc. 421-589) et neologismorum (Sc. 609-656). Velim hos indices recensere in EL secunda a proxima (EL 281). Placet mihi testimoniorum indicatio subtilis, qualem apud multos verborum novatores dolenter desidero. Ut iam adnotasti, Scatebranus in novis nominibus Latinis configendis linguae Graecæ tantam vim attribuit, ut etiam res iam pridem nominibus mere Latinis nuncupatas ("birota" et "pedifollis") decoret decoramento hellenico. In hac re fortasse interdum modum aliquantulo excedit. Sed in parte Orbis Picti mei lexicali etiam talia "onomata Skatebranika" - ut ita dicam - libenter indicabo. Quaedam synonyma permittantur. Habemus et computatrum et ordinatrum, autoraeda et autocinetum, laophorum et autoraeda longa et coenautocinetum. Omnis lingua naturalis habet quaedam synonyma. Tamen cavendum est, ne fiat nimia abundantia talium verborum eiusdem significationis variorum nova obscuritas. De his alias.

Multa mihi restant quaerenda, sed unum post aliud. In fine tantum duas res quaero:

1) Quod nomen gentis vestrae praefertis Latinum? "Ruteni" an "Russi"? Alexius Scatebranus videtur

semper nomen Rutenorum adhibere. Quid tibi videtur?

2) Unde exortum est nomen "Scatebranus"? (a "scatebra, i.e. aqua prosiliens?")

Spectatne ad etymologiam nominis gentilicii, q.e. Solopov?

Si licet, indices, quaeso, mihi inscriptionem electronicam Professoris Alexii Scatebrani. Nonne eius interest legere Epistulas Leoninas? Quid sentis? Si ita, libenter ei mittam has litteras gratis et sine ulla obligatione. Haec hactenus, mi care Alexi Vestigiari. Pancratice vale et perge mihi favere.

Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus

d.8 a.2023, 12:12 +03:00

Alexius D.ri Nicolao Gross s.q.p.d.

Gratias tibi plurimas ago pro epistulis; A. Scatebrano scripsi, cuius inscriptio electronica est haec: ... Quod attinet ad istum locum incertum quem indicasti, tibi assentior, etiam mihi videtur mendum typographicum. Sunt et alii generis errores; ita in p. 347 P.ri Caelesti ascribitur vox Interretium, qua eum nusquam usum esse sciamus, interrete tantum; in p. 136 Saravipontanorum sedem studiorum Neolatinorum dicit cathedralm, quae fuerit sectio cathedralae cultuum civilium... Christiani Helfer; nec sexagesimis annis saeculi XIX "Alaudae" Caroli H. Ulrichs edebantur, p. 598. Sed talia similiaque minoris, ne dicam nullius momenti, opus est hercle splendidum, perutile et multum confert ad lexicographiam Neolatinam.

Nomina Ruteniae et Russiae et Rossiae Russice tractat in pp. 334-336. Ruteniae vocem mediaevalem testificatam dicit apud Ottone Frisingensem saec. XII, Rutenorum autem eodem saec. in Annalibus Augustanis (de anno 1089). Mediaevale nomen Russiae ei minus placeat, cum omronymicum sit adiectivo russus (ruber). Ceterum animadverti alios philologos (utputa Valahfridum et Maurum Agosto) malle Ruteniam, alios autem (Michaelem von Albrecht et Theodericum) Russiam. Ego praefero Russiam et Francogalliam (loco Galliae), utique multa huius generis, etiam Theodiscus et Germanicus, Niderlandicus et Batavicus bona mihi synonyma videntur. Nomen Rossiae vero quod usui esse dicit a saec. XVIII, scaevum censem ob quandam falsam e Graeco interpretationem.

De etymologia Scatebrani cognominis interroges, quaeso, ipsum; equidem quid sit Russice Solopov, quae sit etymologia omnino nescio. Alia nomina apud nos sicut apud alias gentes perspicua sunt, inde Latine redditu faciliora, alia autem minus. Attamen animadverti nostre libentius et saepius quam vos nomina sua Latine reddere, exstant apud nos Suppopulinus (A. Podossinov), Albanus (A. Belov), Haliaeetus (A. Belikov), Leucomustaceus (A. Belousov), Philtrius (A. Ljubshin), Tardior Petropolitanus (M. Posdnew) et alii. Sigridi talis ratio displicet, quae initium sumat a seriore Romanorum antiquitate notis inscriptionibus *Amor qui et Eros* et sic porro. Eadem ratione usi sunt humanistae.

Restant et cetera scribenda; rogitasti quid omnino Latine scriberem, utrum scripta in Latinum vertam necne. De his rebus paululo post. **Cura, ut quam optime valeas!**

P.S.: errorem ignoscas quaeso: rogitasti...utrum...verterem (pro vertam)...

d.14. m.Iul. a.2023, h.19:48

Alexius D.ri Nicolao suo Gross in Latinitate viva amicissimo s.q.p.d.

Gratias tibi permultas ago, humanissime vir, pro utraque epistula tua, necnon pro interpretamento mihi allato. Attamen rogo mihi ignoscas: patre meo omnium amantissimo heri mortuo proximis nonnullis diebus nihil respondere potero.

Iam tanto maerore te rogo ut ores quantum possis pro salute patris mei Georgii. Nobis confessione variantibus credo Christum Deum omnes ex corde prolatas preces

respicere. Immo mihi Orthodoxo placent verba Michaelis nostri von Albert quae dedit in commentariis vitae suae Russice scriptis (Germanice proh dolor non exstant), q.t. «Iter vitae meae», russice autem «Путешествие моей жизни», Moscoviae 2010, ecce quid scripserit (e Russico): «Iam illo tempore [annis scilicet quinquagesimis — A.V.] certi eramus Christianis diversarum confessionum cooperandum [vel potius: inter se venerandum — A.V.] esse», idem Russice: «Мы уже тогда были уверены в том, что христианам разных вероисповеданий следует сотрудничать», p. 71. Quem librum scripsit Russice; fortasse nescis eum Russice scire aequa ac Theodisce, hac lingua loqui veluti sermo patrio, me teste cum eo russice latine theodisce loquendo anno 2016 Sandhusiae.

Ad hodierna mea revertar. Hoc die volens nolens me quaero, quid senserit Sigrides ineunte anno 2008 amissis Patre Caeleste et Christiano Helper, altero post alterum. Etiam cogitata huius generis prosunt ad pacificandum in Christo.

Ignoscas, quaeso, iam finem faciam epistolio. Adiciam libros meos licet russice scriptos. Et paulo post addam fragmentum libri scholastici linguae Latinae Christianae.

Vale mi care, hanc epistulam si volueris vulges. Ora pro patre meo Georgio.

P.S. Scripta epistula succurrit mihi laudatio funebris quam scripsit in Voce Latino

Pater Caelestis anno fortasse plus minus 1978 de Patre suo mortuo (Ioanne Baptista??). Pater eius fuerat ferriviarius, inde ipse totam vitam amavit viam ferriviariam, permultis istuc symbolis vulgatis. **Iterum vale.**

d.19. m.Iul. a.2023, h.16:04

LEO LATINUS ALEXIO VESTIGIARIO SODALI SUO LATINITATE VIVA SECUM CONIUNCTISSIMO SAL.PL.DIC.

Mi care Alexi,

de obitu Patris Tui a te humanissimē certior factus toto ex corde tibi condoleo. Quamquam Patrem Tuum, quem dicis fuisse omnium amantissimum, prorsus nescivi deque tuā vitā adhuc pauca tantum scio, tamen litteris symbolisque tuis Latinis attentē perlectis persuasum mihi est te esse animā candidā praeditum ideoque a te rogatus libentissimē, quantum potero, pro salute **Patris Tui Georgii** orabo. **SIT EI TERRA LEVIS, REQUIESCAT IN PACE.**

Ipse summo maerore affectus perhumaniter meministi amicorum Germanorum quibuscum Latinitate Vivā coniunctus es. Cum commemoraveris in epistulā tuā **Laudationem funebrem** patris sui, quam olim scripsit **Pater Caelestis Eichenseer**, eandem Laudationem in vetere fasciculo Vocis Latinae inventam et denuo dactylographatam appendici huius epistulae imposui. Ceterum te invito, ut mihi mittas omnia Latina quae vis publicare: pro certo habeas me iisdem in Epistulā Leoninā attributurum esse paginas dignissimas. Denique medullitus tibi exopto, Alexi carissime, ut maerorem dolorosum fortiter perferas necnon memoriā Patris Tui Georgii amantissimi dictis factisque te semper praestes dignissimum. Utinam solacio tibi sint Bonae Litterae necnon commercium epistularum Latinissimum. Reconvalesce, mi care amice, qui quamvis luctu filiali gravatus, tamen sis spe aeternae salutis paternae plenissimus. **Medullitus te salutat Nicolaus Groß sive Leo Latinus.**

ANSGARIUS OSLOENSIS

d.02. m.Iul. a.2023, h.13:33

SP Nicolao Ansgarius

Tibi gratias ago pro epistula leonina, et urbanitate et doctrina referta. Nonnulla verba nova, et perutilia didici. Imprimis placuit iunctura verborum supplicium sociale, ab Naevio Sartorio confectum. Etiam me delectavit, quamvis res sit non levioris momenti, symbola de furore climatis tractans. Primo enim obtutu, trepidatio animi climatodulorum, non tantum quantum ad vaccas attinet, vero omnibus in rebus oeconomicis et socialibus, homines leves ac facetos ad hilaritatem provocat. Suspicio autem iam dudum me tetigit, qua ratione occulta tam multae reformationes oeconomicae, magis magisque in diem radicales, molirentur. Haec enim omnia ab climatodulis, et fautoribus partium sinistrarum, moventur non ad clima tuendum, sed ut agriculturam, industriam quaestuosam, totamque oeconomiam Europaeam, fortasse Boreoamericanis et Sinensibus clam instigantibus, prorsus deleant. - Ceterum, si nuntiis tantisper licet confidere, qui interretiabiliter vehementius in horam profunduntur, his diebus bellum in Gallia conflatur. Admonitio autem onusiana, ut odium phyleticum biocolyticorum francogallorum arceatur, certe cachinnum conmovet. Neminem enim fugit, qui umquam sive Galliam, sive nationes Arabicas lustraverit, quemadmodum elato supercilio Saraceni reliquas omnes gentes pree se contemnunt. Bellum igitur movetur, sed non bellum intestinum, cum haec vastatio ac violentia potius videantur esse initia incursionis Saracenorum in Europam. Attamen, non me fugit, quam magni ponderis sit in tali tantaque re sententiam fronte celare! haec congeste et tumultuarie, cum tempus maxime premat!

Basilice te salutat Ansgarius

d.02. m.Iul. a.2023, h.15:09

Nicolaus Ansgario suo optimo sal.pl.

Gratias plurimas, care amice, pro recensione Epistulae Leoninae 279. Ut semper in epistoliis tuis, incitamenta cogitandi praebes lectoribus, et fulgurat, ut ait Plinius maior, vis tuae eloquentiae fulgentissima. Quod attinet ad odium phyleticum Arabum, rem acu tetigisti. Summa cum hypocrisi gubernatio nostra nos commonere non desinit antisemitismi impugnandi, sed simul limitibus patentibus invitat ut introeant quam plurimi Iudeorum osores exacerbatissimi. --- In Francogallia saevire videtur bellum civile, Macrunculi praesidis dies videntur esse numerati; sed, vae nobis, timeo ne Francogallia sit praenuntia similium terrorum ceteris Europae terris imminentium. Certe sero sapiunt Phryges; sed quid, si Phrygum gubernatores nihil sunt nisi neurospasta, quorum fila trahuntur a tyrannis vere potentibus post siparia stantibus? Haud scio an Veritas sit filia temporis; fortasse paulatim clarus visuri sumus, quid fiat post siparia. Haec hactenus brevissime; mox, si volueris, certe plura. Vale semper,

Nicolaus Leo Latinus

d.10. m.Iul. a.2023 h.15:22

Nicolaus Ansgario suo optimo sal. pl. s.v.b.e.e.v.

Care Ansgari, rectene vales? Versarisne adhuc sub sole Hispanico rebus theologicis et picturalibus deditus? - An iam reversus denuo occupatus es calculationibus electricitatis Osloensibus? An es rebus familiaribus occupatissimus? Quid de inceptis tuis Latine scribendi? In appendice invenies unam ex illustrissimis Ludovici Thomae

narratiunculam toga indutam. Si vacas, perlegas, quaeso, et scribas mihi, num mihi sat bene contigerit, ut imitarer elocutionem Thomae, quae est puerilis et ironica et satirica et iocosa. Maxime mihi videtur valere facilitas verba intelligendi, ut versio Latina sat rapide legi et intellegi possit, ne vis comica perdatur. - Quid tibi videtur de elocutione? Scilicet versio numquam potest aequare textum originalem, sed oportet interpres studeat ad qualitatem originalem quam proxime approximare.

Et quid de argumento? Nonne tibi persona nota est amitae isti Fridae haud absimilis??? - Nonne omnis nostrum tales homines iam vidi et audivit? Mihi perplacent hae narratiunculae. **Vale semper, NIC.**

d.11. m.Iul. a.2023, h.09.04

SP Nicolao Ansgarius

Salvus sis Nicolae! Recte coniectura collegisti, me adhuc in Hispania morari, qui Valentiae in urbe aurantiorum vitam sat molliter agam. Sed non totus ventris et gutturis vitiis deditus, ferias turpiter contero, cum hora sexta e lectulo corpusculum corripiam, ut litteris aliquantis per vacem. Quintilianum relego, qui quam praceptis rhetoriciis, etsi per utilibus ad eloquentiam colendam, magis latinitate eximia ac syntaxi subtilissima lectorem, stupenti similem, tam fascinat quam delectat. Fabius enim noster, semper scrupulosus, interdum aliquantulum sollicitus, fortasse vero fuit exemplar inimitabile, utpote qui non tantum doctrina perpolita, quantum locutione flexibili variaque apicem Imperii florentis signavit. Ceterum, die sabbati, Collegium latinitatis, id est societas latinistarum valentinorum et cultorum Ludovici Vives, omnes amantes litterarum latinarum invitat ad seminarium de epistulis latinis. Ut videtur, hac occasione, non tantum philologi hispanici acroases recitabunt, vero etiam nonnulli homines septentrionales, ex Francogallia et Germania. Die autem dominica, petiturus sum Concac, urbem in regione montuosa sitam, et ad visiones caelestes concitandas aptissimam, ut usu rerum olim didici. Tunc breviter visitam Matritum, more translaticio, ubi calores nunc maxime saeviunt.

Sane me delectavit fabella illa ab Ludovico Thoma conscripta. Auctor ille non mihi notus erat, qui in litteris Germanicis mediocriter versatus sim. Sed lepidissime vitam et mores provinciales, et re vera universaliter humanas, hac in narratiuncula descriptis Ludovicus ille nasutissimus. Non dubito quin, elocutio versionis latinae sat bene ingenio satirici dicaculo congruat. Neque vero me fugit quam frustra in alio sermone imitentur omnia discrimina tenuissima vocum modo inflatarum, modo fractarum anicularum Germanicarum saeculi undevicesimi! Permutas equidem amitas Fridas, non absque periculo meo, cognovi! Sed dic quaeso, quid sibni vult tapetulum cocoinum? Et nebula hispanica? fortasse pulvis e capsico acri confecta?

Quantum ad latine scribendum, dum dies feriatos ago, tantum saltuatum de materiolis frivilis et anilibus scriptito. Attamen, in animo habeo, gradatim, non nullas fabellas milesias exarare, non ad gloriam comparandam, sed exercitationis causa, cum iam copia ingens mihi sit argumentorum admodum levium. Mihi autem cavendum'st, ne in cacozeliam incidan! Multi enim scriptitores misserrime perierunt, nimium sedulosi in latinitate aurea colenda! Taurice te salutat Ansgarius!

d.17. m.Iul. a.2023 h.18:29

Salutem Nicolao Ansgarius,

Quid agis? ni fallor, in laboribus lexicographicis versaris. Scias velim quam impatienter multi magnum opus tuum exspectemus. Crebro enim, si quando de rebus hodiernis latine scriptimus, haeremus in verbis novis eligendis. Lexica latinitatis vivae saepe discrepant, ut definitiones inter sese pugnantes proferant. Mox finem itineribus ibericis imponam, spero fore ut die veneris, superis faventibus, domum me recipiam. Valentiae, die sabbati seminarium (vel fortasse rectius colloquium) in Collegio latinitatis participavi. Moderatores Collegii latinitatis multa faciunt ad latinitatem vivam fovendam, et optimi magistri sunt, ut videtur. Itaque, sat gratum fuit, hoc colloquium partcipare, cum raro mihi potestas detur latine loquendi. Neque vero tantum senusculi, ut equidem, vero etiam iuvenes huius seminarii participes fuerunt. Acroasibus auditis, in quadam caupona, omnes citra temulentiam, et latine, pocula Baccho libarunt. His diebus etiam non nulos textus, vel potius nugas bullatas, feci iuris publici in commentariis periodicis, qui Ephemerides vocantur. Textus sunt levioris momenti, et brevissimi, ne maeror in animum legentium afferatur. Quamquam nemo, ut puto, haec progymnasmata lecturus est. Haec omnia vellicatim scriptitare soleo, ne nimia cura elegantiae atque anxietas in verbis seligendis oratiunculas frivolas penitus pessumdentur. <http://www.ephemeronuntii.eu/widholm.php>

Cura ut valeas! Ansgarius

d.17. m.Iul. a.2023 h.19.40

Nicolaus Ansgario s.

Gratias plurimas pro litteris tuis. Placent mihi nugae tuae bullatae. Modo eas inserui EL 280, quae, ut scis, etiam in Ephemeride publicabitur. Itaque in eadem sede interretiali bis publicabitur symbola tua - nisi tibi hoc displicet. Scribe mihi quam rapidissime, quia cras publicabo EL 280.

Vale semper, Ansgari humanissime.

IOHANNES PETRUS KNIJFF

d.10. m.Iul. a.2023 h.3:11 PM

Nicolaus Iohanni Petro sal.

Care Iohannes, valde miror, quod iam ex aeonibus mihi nihil scripsisti. Rectene vales? Quid de institutione Waldorfiana? Interim res melius se habent? Quid de inceptis tuis hermeneuticis? Interpretarisne aliquid Maupassantianum? - In appendice invenies unam ex illustrissimis Ludovici Thomae narratiunculam toga indutam. Si vacas, perlegas, quaeso, et scribas mihi, num mihi sat bene contigerit, ut imitarer elocutionem Thomae, quae est puerilis et ironica et satirica et iocosa. Maxime mihi videtur valere facilitas verba intelligendi, ut versio Latina sat rapide legi et intellegi possit, ne vis comica perdatur. - Quid tibi videtur de elocutione? Scilicet versio numquam potest aequare textum originalem, sed oportet interpres studeat ad qualitatem originalem quam proxime approximare. Et quid de argumento? Nonne tibi persona nota est amitae isti Fridae haud absimilis??? - Nonne omnis nostrum tales homines iam vidit et audivit? Mihi perplacent hae narratiunculae. **Vale semper, NIC.**

d.10. m.Iul. a.2023 h.15.27

Iohannes Nicolao s.

Salvus sis tu, Leo care! Narratiunculam abs te togatam vel hodie vel cras legam tibique variis de rebus rescribam. **Vale! Johannes**

d.11. m.Iul. a.2023 h.10.44

Iohannes Nicolao s.

Bonum diem, mi Leo! Maximo cum gaudio legi versionem tuam istius fabellulae. Librum illius Thomae (mihi haud ignotus, nam vix exstare videtur in hac regione mea viculum sine via ab illo nominata) nunquam legi, tamen dixerim multo iucundius esse togatam legere fabellulam, fortasse quod versio Latina quasi me lectorem vel invitat vel etiam cogit accuratius et paulo lentius certe legere. Ceterum nonne mirum, ut cum psittacus iste tum oculi Annulae rubri carmen in mentem vocat Catulli nostri vel notissimum? - In media fere pagina prima deesse credo littera s in verbo q. e. displicet. Necnon in media paenultima paragrapho virgulas redundare dixerim.

De Valdorpianis Monacensis quid dicam? Iam annus praeteriit postquam munus illic mihi tristi corde fuit relinquendum. Novus magister, qui antea vix unum alterumve discipulum in quadam universitate docuisse ipse confessus est, discipulos Valdorpianos grammaticam Sanscriticam Doricamve (incredibile dictu) docet. Qui vix Capitulum XXI Oebergianum legere valent. Sic transit gloria in excelsis Deo, ut aiunt.

Quanquam valde gaudeo Latinam, Graecam, Batavam, Anglicam, Theodiscam, Gallicam linguas docendo, organo canendo, chorum dirigendo, nescioquomodo leges vel Germanae vel Bavarenses postulare videntur ut pecunia mihi advenae detur tam exigua, ut vix satis sit ad vivendum. Ita vita, certe, quis enim cum fatis pugnare ausus sit? Tamen difficile est neque tristis esse neque hic illic de rebus prorsus desperare. Num totam paene vitam tam multa didici ut munere fungar hospitis in deversorio?

Tu autem cura ipse et uxor organicen hac aestiva tempestate pulcerrime valeatis otioque fruamini iucundissimo. **Johannes.**

d.19. m.Iul. a.2023 h.20.54

Nicolaus Iohanni suo Batavo musico hermeneutaeque sal.pl. s.v.b.e.e.v.

Valdê gaudeo, quod tibi *Amita Frida* Latinâ veste donata haud displiceat. Pro stribilagine castigatâ gratias plurimas; de virgularum abundantia aut inopiâ in Latinis textibus alii aliter iudicant. Nam philologi pro sermonis sui patrii peculiaritatibus variâ ratione commata aut ponunt aut omittunt. Bene scimus, interpunctione parum normatâ fieri interdum, ut sensus textus falso intelligatur. Exstat iam quidam codex orthographiae et interpunctionis Latinae supranationalis! Qui ab Academiâ Romanâ annis - ni fallor - octogenariis compositus est moderante *Nicolao Sallmann*. Ut verum confitear: Nondum id assecutus sum, ut eundem sequar obsequenter atque fideliter. Neque ullum alterum nôvi Latinê scribentem aut textûs Latinos êdentem, qui hôc Codice utatur fideliter. Sed est mihi persuasissimum hoc plurimum dolendum esse. Haud falso legitur in Sacrâ Scripturâ: SPIRITUS PROMPTUS CARO INFIRMA. Vehementer doleo, quod studia tua discipulos Valdorpianos docendi laetabiliter incohata tam odiosê abrupta sunt. Discipulos scholares Sanscritam et Doricam linguam rectê discere haud verisimile est; nam plerosque studentes adultos sanscritam grammaticam masticantes dentibus privari ipse hanc linguam docens expertus sum. Sed miror, quod moderatores scholae Valdorpianae talem institutionem permittunt...

Tune libro Oerbergiano usus es? Mihi in gymnasio non licuit tali libro ûti; Latinitatem vivam docere mihi (qui eam colo privatim ex dimidio ferê saeculo) numquam licuit. Nam collegae meae Latini sermonis loquularis nullo modo peritae fuerunt. Nec licet a magistro aliam materiam doceri quam a collegis...

Valdê doleo, quod tu vir tam multiplex et artifex excellens compluribus operulis tibi victum comparare coactus es. Ut ipse confitear: effectu studiorum meorum exoticorum et additiorum, gaudio rerum doctarum sed inutilium hodie minorem redditum accipio quam acciperem, si per 40 annos nihil comedissem nisi *cramben repetitam a magistris*, i.e. solitum cursum honorum magistri gymnasii percurrissem...Quia per decem annos in terrâ exoticâ degi, in patriam reversus munere magistri fungens non iam officialis factus sum ...Neque ullum lucrum accepi studiis sanscriticis et tocharicis et lituanicis aliisque maxime delectabilibus. Nullum lucrum accepi ex "studio generali" meo; tamen non paenitet me talia didicisse et per longius tempus in regione extraneâ versatum esse...*Nam varietas delectat necnon radices cognoscentiae sunt amarae, fructûs dulces...*Sed haec est materia uberrima: Utinam aliquando nobis occasiuncula sit fusius de hac re garrire. Haec hactenus; solacio tibi sint hae adnotatiunculae meae. - Sint tibi dies aestivi iucundi atque recreabiles; *carpe diem*, mi care Iohannes Petre, *quam minimum credulus postero...*

Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus

JOANNES CAROLUS ROSSI MEDIOLANENSIS

d.10. m.Iul. a.2023 h.15.18

Nicolaus Joanni Carolo suo optimo sal.pl. s.v.b.e.e.v.

Care Joannes Carole, valdê miror, quod iam ex aeonibus mihi nihil scripsisti. Rectêne vales? Esne adhuc rebus familiaribus occupatissimus? Quid de inceptis tuis Latinê scribendi? Accepistine Epistulam meam Leoninam 279? - In appendice invenies unam ex illustrissimis *Ludovici Thomae narratiunculam* toga indutam. Si vacas, perlegas, quaeso, et scribas mihi, num mihi sat bene contigerit, ut imitarer elocutionem Thomae, quae est puerilis et ironica et satirica et iocosa. Maximê mihi videtur valere *facilitas verba intelligendi*, ut versio Latina sat rapidê legi et intellegi possit, ne vis comica perdatur. - Quid tibi videtur de elocutione? Scilicet versio numquam potest aequare textum originalem, sed oportet interpres studeat ad qualitatem originalem quam proximê approximare. - Et quid de argumento? Nonne tibi persona nôta est amitae isti *Fridae* haud absimilis??? Nonne omnis nostrum tales homines iam vidit et audivit? Mihi perplacent hae narratiunculae. **Vale semper, NIC.**

d.11.m.Iul. a.2023 h.19:07

Joannes Carolus Thomae suo salutem!

Non modo fabellam abst te tam belle latinitate donatam legi lubenter, sed etiam haud semel in cachinnos solutus sum! Scriptorem - pudet me fateri - non noveram atque eo magis delectatus sum, quod rei novitas me allexit. - Germanice autem quum sim ignarus, aestimare nequeo quatenus Thomae elocutionem imitari valueris, sed non dubito quin tu, quo es et animo et usu, fabulam perapte reddideris. - Dicam tamen nonnihil in ea me olfecisse, quod Carolo Collodi nostro - ob *Pinoculum* fama ejus toto orbe terrarum percrebuit- referri potest: nonne enim pupulus ille ligneus cum puero male morato est conferendus? Collodius vero alias etiam fabulas conscripsit, quibus quidem gentium favor longe minus arrisit, veluti *Minuzzolo* (minutulus), qua

fabula rigidiores familiae burghensis mores hinc graphice depinguntur, hinc blande sed acute notantur. - Sed aliud exemplum expromere possum e paenu litterarum Italicarum: Ephemeridion Joannis Procellae -sic liceat *Il Giornalino di Giamburrasca* interpretari!- quo Ludovicus Bertelli pericula irrequietissimi malitiosissimique pueri enarrat. - Adde quod Lodovici Thomae narratiacula sale quodam britannico aspersa esse mihi videtur, qualis apud Gilbertum Chesterton deprenditur: acute enim arguteque hominum mores notat, sed non maledice. - Rogas num mihi notae sint mulieres amitae Fridae similes, quae ceteros naso adunco limisque oculis circumspiciunt, maledico mordent dentes, nihil in pejus non vertentes. Nonnullas novi ejusgeneris picas pulvinares, ut ait Petronius, quorum erat in tablinis non modo in pueros male moratos, sed etiam in blandas puellas vel in probas matronas garrire. Quicquid autem Veneris blanditiis referri poterat, ejulando horrescere se clamabant. Sed oportet ut de psittacis aliquid tibi narrem. Profecto Euthymii Antonari, Atheniensis doctissimi, meministi, qui nobiscum Francofurti apud patrem Caelestem quondam conversatus est. Ille psittacum docuerat verba obscena enuntiare, quae inter neograecanicum *malakà* principem obtinebat locum. Haec cahinnans Antonarus referre solebat, quasi puer ludibundus qui durae matronae verba daret...

Equidem satis mirari non poteram cur res ejusgeneris mollis a Graecis, qui nunc sunt, nuncuparetur, quae solet interdum e molli rigida fieri...

Venio autem ad psittacum aviae meae, cuius technae mihi puerō narrari ab ea facetissime solebant. Et iste psittacus verba turpiuscula, qualia resonant in ore popelli Quiritium, didicerat, sed plerumque nisi data occasione iis se abstinebat. *Cocò* enim - sic appellabatur - francogallice sermocinari solebat et quasi, alter Caesar, de se ipso loquens tertia verbi persona utebatur. Itaque sub hora prandii identidem clamabat: *Cocò n'a pas mangé!* *Cocò n'a pas mangé!* Quondam factum est ut famulus, qui ei cibum ministrare solebat, psittaci clamitantis impatiens, eum increparet: *Apage, Cocò!* Cui ille statim: *Abi in malam rem!* Re vera ei, ut fit apud Italos, ut paedicaretur optaverat...

Haec in praesenti. **Tu interim, facundissime amice, vale multum!**

d.11. m.Iul. a.2023 h.23:03

NICOLAUS JOANNI CAROLO SUO OPTIMO SAL.PL.

Summas gratias pro responso prolixo. Varia et pretiosa incitamenta mihi praebebas ad studia philologica et etymologica necnon sociologica refocillanda. - Valde gaudeo, quod versio mea te exhilaravit; quod mihi indicium est fidelitatis hermeneuticae laetabile. Magni etiam facio, quod mihi affers *Collodium*, *Bertellum*, *Chestertonum* auctores fabularum comparabilium, ut litteris tuis lectis doctior evadam.

Quod commemoras te *picas pulvinares* (sive *viperas* sive *excetras*) cognovisse, solacio mihi est accipienti me non unicum hominem esse talia animalia periculosa expertum.

Illum *Euthymium Antonarum* eiusque psittacum bene recordor; admirabili amicitia coniunctus erat cum *Osvaldo Dilke* Britanno professore sui generis (eumne quoque cognovisti?) Uterque fuit homo pro se - singularis et incomparabilis. Timeo, ne talia individua hodie non iam exstent, quod plurimum dolendum est. Nostra aetas est aliena ab individualismo. Nobis autem licet gloriari, quod tales viros viventes cognovimus ipsis oculis et auribus, nonne, Joannes Carole?

De psittacis verba increpitatoria crocitantibus multa sunt facete dicta. - Ceterum problema etymologicon mihi proponis solvendum. Quaeris, qua mutatione sensus graecum verbum, quod antiquitus significavit *mollis*, in neograeco sermone est convicium sive vox increpitatoria, quae valet *masturbatorem*.

En accipe quae postquam litteras tuas legi, brevissimo spatio invenerim ad hoc aenigma solvendum:

1. μαλακός adiectivum classicae aetatis graecae est i.q. *mollis*. Sed sensu translato habet iam sensum peiorativum: *delicatus, effeminatus* (cfr LSc = Liddell-Scott: "morally weak, lacking in self control"; p.176, s.v. μαλακία: 2. = κιναιδεία: p.951, s.v. κιναιδεία = "unnatural lust" (i.e. sc. venus adversa, venus cinaedorum)).

2. Substantivum μαλακία apud Matthaeum 4,23 evangelistam valet "*infirmitatem, morbum*" (LSc p.1076, s.v., 3. "weakness, sickness"); verbum h.l. videtur potius ad morbum mentis quam corporis spectare.

MATTH.4,23 (de Iesu aegrotos sanante): ...θεραπεύων πάσαν νόσον καὶ πάσαν μαλακίαν ἐν τῷ λάῷ.

Latina versio: sanans omnem languorem, et omnem infirmitatem in populo.

Videtur hōc loco νόσος potius esse morbus corporis, μαλακία morbus mentis.

3. Hōc sensu verbum adhibetur in proverbio neograeco, q.e.:

Γι αυτό γίναμε Ιστροί, δια να θεραπεύμεν πάσαν νόσον καὶ μαλακίαν.

i.e. Hac de causā medici sumus facti, ut omnem morbum et insaniam sanaremus.

<https://atcorfu.com/de/malaka-bedeutung-wann-man-diesen-griechischen-slang-benutzt/>

4. Certo scis saeculo octavo decimo et nono decimo multas litteras et pseudoreligiosas et pseudoscientificas publicatas esse, quibus daemonizaretur masturbatio. Quidam medicastri contendebant masturbando cerebrum pueri tam graviter affligi, ut obbrutesceret et efficeretur debilitas mentis.

https://en.wikipedia.org/wiki/Onania:_or,_the_heinous_sin_of_self-pollution

The frightful consequences of onanism: Notes on the history of delusion. Robert H. MacDonald Journal of the History of Ideas Vol. 28, No. 3 (Jul. - Sep., 1967), pp. 423-431 (9 pages) Published By: University of Pennsylvania Press

5. Secundum fictionem popularem cerebri mollificatione fit debilitas mentis.

6. Ex hac sententiā praeopinatā, quae latē patet, videtur exortus esse usus verbi increpitatorius; qualis etiam invenitur in sermone vulgari theodisco: "Wichser" habet eundem sensum ac μαλάκ(ας). "wichsen" sensu originali est "*calceos ceromate illitos nitidare eo quod peniculo fricantur*". Propter motuum similitudinem sensu translato est i.q. *masturbari*. Quod verbum prioribus temporibus habebatur esse obscaenum et militare et hominibus urbanis atque eruditis absolute indignum; sed hodie - ubi omnis puerulus omnisque puellula omni tempore duobus plectris sophophoni sui impressis pornographiam accedere potest perversissimam - quid adhuc est obscaenum? ---

d.11. m.Iul. a.2023 h.23:04

Tempestate obortā subito abrudi epistulam meam. Propter fulgura finio, postea scribam cetera. **Vale, N.**

d.12 m.Iul. a.2023 h.12:45

Nicolaus Joanni Carolo suo s.

Hesternā nocte cum tibi scribebam epistulam, subito fragoribus caeli et fulguribus et imbribus et grandinibus ingentibus interrupta est scriptio mea. - Iam timuimus, ne granis grandinis percuterentur photagogi, qui insunt lacunaribus cubiculi et conclavis balnearis. Nam tale damnum nuper iam factum est. Valde miror de subitā frequentiā grandinis. Ex 50 annis non iam vidi tantas grandines. In causā nobis videntur esse

chemtrails quas denominem *virgas chemicas* (cfr SEN.nat.I 9: *virga caeli*) - novistine hanc notionem? Ex 2-3 annis saepe observamus aeroplana in modicâ altitudine volantia, quae emittunt mira *vestigia condensationis*. Non sunt solitae *virgae condensationis*, quae solent sequi aeroplana pyraulica magnis in alitudinibus volantia. Sed sunt *vestigia chemica*, quae efficiuntur experimentis tempestatis mutandae. Talia experimenta a multis adhuc falso creduntur non fieri nisi in mente hominum theoriam conspirationis configentium, sed reverâ fiunt ex multis decenniis. Iamne audivisti an legisti de *chemtrails*? https://it.wikipedia.org/wiki/Teoria_del_complotto_sulle_scie_chimiche

Quod attinet ad *theorias conspirationis* - quales falso dicuntur - estne tibi nova *theoria conspirationis*? Eae, quae mihi fuerunt (e.g. de pseudopandemiâ deque pseudovaccinatione), interim omnes ad veritatem sunt adductae. - Quid tibi videtur? Suntne istae *virgae chemicae* verae an ficticiae? Sumne superstiosus? Quid sentis?--

Ceterum quod attinet ad psittaci increpitationem graecam eiusque etymon, pauca tantum tibi scribere potui et hypothetica. Hae hypotheses sunt ad obrussam exigendae. **ARS LONGA, VITA BREVIS...**

Vale semper, mi Joannes Carole humanissime Nicolaus.

d.16.m.Iul. a.2023 h.09:15

Joannes Carolus Nicolao suo salutem!

Vix, Nicolae mi, Segesta Tigulliorum - vulgo *Sestri Levante*, redieram, ubi brevi otiosis feriatis apud amicos sum fructus, quum litteras tuas interim allatas inveni, ex quibus ut soleo magnam cepi delectationem. - Primum de psittaco, seu potius de mollitia, oportet tibi referam *Claudii Picae* mei sententiam, ad quem tua saepenumero significo: en igitur illius ipsissima verba:

"*Placet argumentatio: Masturbatio cerebrum mollit. Tum cui cerebrum est molle, is verisimiliter est sui manu stuprator. Deinde Cui molle est cerebrum mollis appellari potest. Ergo masturbator nuncupetur sane "mollis"! Placet etiam id quod apud nos serra (italice sega) dicitur, apud Germanos tamquam calceamentorum perfricationem designari, propter eandem causam, cum semper agatur de manus alterno in utramque partem motu.*" -

Sed graviora etiam tetigisti. Junctura, e Seneca callide per te deprompta, haud displicet, qua fumigantes sulci e pyraulicis sublime volitantibus in aere ducti appellari apte possunt. Eorum esse duo genera comperi: major pars nihil est nisi humor propter frigora densatus; partem autem chemicae naturae esse constat, ut quae ad eliciendam pluviam e sterili nubium ventre argenti jodido dispergatur. Neque me fugit istos sales, qui ariditatibus temperamenta afferre putantur, agros cibosque venenari. -

De conjuratione autem mundana, quasi causa una ad quam omnia flagitia referri debent, haud semel apertis verbis quod in universum sentio significavi. Non enim nego hominibus pactiones nefarias saepenumero iniri, sive odii sive avaritiae causa - ut feram exemplum unum pro multis, patet manum conjuratorum Kennedios ambos interfecisse- sed omnia regi a conjuratoribus clandestinis, qui in tenebris latent, ut credam vix induci possum. - Compages enim mundi adeo est implexa tamque multis coalescit elementis, ut a pusilla nefariorum manu dissici non possit. Certe potentiores cotidie omni nisu ceteris hominibus nocere conantur, ut sibi conservent potentiam, divitias augeant, favorem popularem captent, sed non omnia conjurando possunt. Habet enim mundus sum quoddam pondus, paene infinitum, quod a paucis dimoveri improviso nequit. - Ceterum sapientes rerum naturalium per vestigatores docuerunt

reductionem ad unum esse magis spem philippi aut sacerdotis, quam solidam rerum explicationem. Ut paucis rem magnam absolvam, non modo effectus multifarios e multiplicitate causarum gigni plerumque arbitror, sed diffido quoque iis, qui quasi Alexandri renati implexos rerum nodos, quibus saepe obstringimur, gladio conjurationis secare malunt, quam diuturno rationis solvere labore. Sed de his in aeternum disputare poterimus, ea lege ducti amicos non semper unanimos esse... **Vale pancratice!**

MARCUS CRISTINI BRIXIANUS

d.10 m.Iul. a.2023 h.15:32

Nicolaus Marco suo optimo sal.pl. s.v.b.e.e.v.

Care Marce, rectêne vales? Quid de inceptis tuis *philologotatois*? Accepistine Epistulam meam Leoninam 279? - In appendice invenies unam ex illustrissimis *Ludovici Thomae* narratiunculam togâ indutam. Si vacas, perlegas, quaeso, et scribas mihi, num mihi sat bene contigerit, ut imitarer elocutionem *Thomae*, quae est puerilis et ironica et satirica et iocosa. Maximê mihi videtur valere facilitas verba intelligendi, ut versio Latina sat rapidê legi et intellegi possit, ne vis comica perdatur. -

Quid tibi videtur de elocutione? Scilicet versio numquam potest aequare textum originalem, sed oportet interpres studeat ad qualitatem originalem quam proximê approximare. - Et quid de argumento? Nonne tibi persona nôta est amitae isti *Fridae* haud absimilis??? - Nonne omnis nostrum tales homines iam vidit et audivit? Mihi perplacent hae narratiunculae. **Vale semper, NIC.**

d.16 m.Iul. a.2023 h.17:37

Marcus Nicolao optimo s.p.d.

Gratias tibi maximas ago pro epistula tua proque narratiuncula perhumaniter missa. Mihi sero respondenti ignosce, quaeso, sed his diebus, ut saepe accidit mense Iulio, multa mihi perficienda sunt, cum mense Augusto bibliothecae, universitates studiorum sedesque publicae fores obserent et tota fere Italia se ab usitatis negotiis abstineat, itaque omnia, quibus ante Kalendas Septembres summam imponere manum oporteat, nunc si non ad finem perducere saltem ad metam admovere coner.

Epistulas Leoninas grato accipio animo et libenter lego, ubi primum mihi paululum est otii. Narratiunculam Ludovici Thomae subridens versavi. His diebus opus admodum est facetiis et fabellis comicis, ut animi recreentur! Textum Theodiscum numquam legi, sed arbitror te optime stilum levem et iocosum auctoris imitatum esse, Plauti Terentique non immemorem. Quod ad fabellas hilares attinet, cognoscisne libros Geraldi Durrell? Puer versavi *Familiam meam et alia animalia* (*My Family and Other Animals*) et iterum iterumque vix impedire potui, quominus risu corruerem. Ante nonnullos annos libentissime legi narrationem quoque fictam Iraji Pezeshkzad, quae *Avunculus meus Napoleo* (*My Uncle Napoleon*) inscribitur quaeque de familia Persiana tempore Alterius Belli Mundani facete narrat. Proh dolor, fabulae quibus nunc omnes plaudunt vel - ut rectius scribam - quae a criticis ad sidera tolluntur et a multis laudantur, quamvis ipsas pauci perlegerint, saepe maestitia eo abundant, ut malis commentarios diurnos legere, qui res aeque luctuosas sed veras referunt. Utinam Talia pluris habeatur nostris diebus quam Melpomene! **Cura, ut optime valeas.**

d.17 m.Iul. a.2023 h.10:09

Nicolaus Marco suo optimo philologo botanicoque sal.pl.

Gratias plurimas, mi Brixiane, pro responso non nimis retardato. Bene intellego te his diebus breviter ante pausam aestivam laboribus philologis occupatissimum esse. Gaudeo plurimum quod mihi affers auctores et opera, quae - ut verum confitear - usque nunc prorsus ignota mihi fuerunt. Ita fit, ut litteris tuis perlectis doctior evadam. Utinam laboribus semestris finalibus feliciter exanclatis feriis aestivis fruaris maximē recreabilis! Pancraticē vale, humanissime, et perge mihi favere.
Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus.

RADULFUS BONAEROPOLITANUS

d.11 m.Iul. a.2023 h.12:29

Nicolaus Radulfo suo Bonaeropolitano sal.pl. s.v.b.e.e.v.

CARE BONAEROPOLITANE, rectēne vales? In appendice invenies unam ex illustrissimis *Ludovici Thoma*e narratiunculam togā indutam. Si vacas, perlegas, quaeso, et scribas mihi, num mihi sat bene contigerit, ut imitarer elocutionem *Thoma*e, quae est puerilis et ironica et satirica et iocosa. Maximē mihi videtur valere facilitas verba intelligendi, ut versio Latina sat rapidē legi et intellegi possit, ne vis comica perdatur. Quid tibi videtur de elocutione? Scilicet versio numquam potest aequare textum originalem, sed oportet interpres studeat ad qualitatem originalem quam proximē approximare. - Et quid de arguento? Nonne tibi persona nōta est amitae isti *Fridae* haud absimilis??? - Nonne omnis nostrum tales homines iam vident et audivit? Mihi perplacent hae narratiunculae. **Vale semper, NICOLAUS LEO LATINUS**

d.12 m.Iul. a.2023 h.17:32

Care Nicolae, imprimam legamque. Gratias plurimas, **Radulfus**

d.17. m.Iul. a.2023 h.12:53

Radulfus Nicolao s.

Nicolae mi, Tuam AMITAM finivi. Ut scis, numquam te laudare desino. Duas quaestiunculae: Non longe a fine, in paragrapho "Tum mater mea: 'Cura', inquit" legitur huic rei faciendo. Estne facienda? - Infra, in paragrapho "Amita etiam pocillum cafeām complevit." Estne cafeā? **Gratias denuo, Radulfus**

Nicolaus Radulfo suo s.

Gratias plurimas, care amice! Rectissimē correxisti lapsūs meos. Mox accipies EL 280. **Vale semper, Nicolaus Leo Latinus**

MAXIMILIANUS PULCHER MYSTAGOGUS AUGUSTANUS

d.11. m.Iul. a.2023 h.08.30

Nicolaus Maximiliano Mystagogo Augustano sal.pl. s.v.b.e.e.v.

CARE MAXIMILIANE, rectêne vales? Iam ex aeonibus ne litterulam quidem ex te accepi. - Procul dubio *Narratiunculae Ludovici Thomae* tibi sunt notissimae. In appendice invenies unam ex illustrissimis Ludovici Thomae narratiunculam togâ indutam. Si vacas, perlegas, quaeso, et scribas mihi, num mihi sat bene contigerit, ut imitarer elocutionem Thomae, quae est puerilis et ironica et satirica et iocosa. Maximê mihi videtur valere facilitas verba intelligendi, ut versio Latina sat rapidê legi et intellegi possit, ne vis comica perdatur. Quid tibi videtur de elocutione? Scilicet versio numquam potest aequare textum originalem, sed oportet interpres studeat ad qualitatem originalem quam proxime approximare. Et quid de arguento? Nonne tibi persona nôta est amitae isti *Fridae* haud absimilis??? Nonne omnis nostrum tales homines iam vidit et audivit? Mihi perplacent hae narratiunculæ. Vale semper, medullitus salutat te tuamque sororem **NICOLAUS LEO LATINUS**

d.11. m.Iul. a.2023 h.11:26

Maximilianus Nicolao suo salutem plurimam dicit.

Gaudeo, quod fabulam a te accepi. Me fabulas tuas valde amare scis. Certe fabulam legendo percurram et cuncta, quae me inspectante conspicua mihi erunt et in oculos se ingerent, tibi indicabo. Sed parumper exspecta, quaeso. Nam hoc tempore occupatus sum. Nam in maeniano matris meae vespae magnum nidum sibi construxerunt, qui amovendus erit. **Bene valeas et hac aestate vespis ne vexeris, quippe qui in habitatione tua vexatus undis iam sis.**

d.11. m.Iul. a.2023 h.16:04

Nicolaus Maximiliano s.

Gratias plurimas pro responso, care Maximiliane. Miror de vespis in maeniano matris tuae. Nam apud nos hoc anno vix ullam vespulam vidi, prioribus annis interdum molestae fuerunt. Haec raptim, mox certe plura. **NIC.**

d.16. m.Iul. a.2023 h.15:20

Maximilianus Nicolao suo salutem plurimam dicit.

Vespae nondum ex maeniano matris meae remotae sunt. Sed tamen interim perfacetam fabulam de dolo istius pravissimi pueri perlegi, quam bene in Latinum sermonem vertisti Thominiano charactere omnino servato. Iocandi acumen magis aridum etiam per tua verba Latina optime appareat et perlucet. Perpaucis locis, ut opinor, idiomati Germanico nimis presse inhaeres. Ibi nonnulla quisquilia annotavi et pro Germanicis et Bavanicis antiquiora quaedam restituere sum conatus. Nam me verba magis antiqua consectari non ignoras. Sed spero talia verba magis antiqua lectoribus Germanicis intellegendi obstaculo non fore. Certe cunctis, qui legent, iucundissima lectionis voluptas erit, ut mihi fuit veram fidamque interpretationem tuam legenti. - Amicus quidam vesparum totum nidum asportare et in horto suo sede assignata collocare vult. Sed ea res nondum facta est. Proximis diebus efficienda erit. **Vale multum et optimis versionibus Latinis adornandis cunctos, qui linguam nostram amant et diligunt, delectare perge!**

d.18. m.Iul. a.2023 h.12:36

Maximilianus Nicolao amico salutem plurimam dicit.

Accepistine et vidistine ea, quae die solis ad te de "Friderica amita" fabula, quam optime in Latinum convertisti, dederam? Si non, iterum eadem ad te mittere debebo. Proximo die Saturni (22.07.) horam secundam postmeridianam (14 h) tibi serva liberam! Tum enim ambulatio Latina "Muri et aquae" per Augustam Vindelicum fiet. Ad Portam Rubram conveniemus et inde ad "Muros et Aquas" ibimus. Veniesne nobiscum? Nunc quidem non sum ignarus te hominem itinerarium non esse et cotidie ad mensam scriptoriam sedulo assidere malle et eo modo linguae nostrae vehementer prodesse. Tamen, si te, Nicolai, coram Augustae Vindelicum salutare possem, valde gauderem. **Vale multum!**

d.18. m.Iul. a.2023 h.12:51

Nicolaus Maximiliano sal.

Litteras tuas accepi et gratias ago plurimas! Haec raptim, mox plura. **Vale semper,**
Nicolaus

d.19. m.Iul. a.2023 h.22:50

Nicolaus Maximiliano sal.

Quia *EL 280*, care amice, hac nocte – ut loquar more alchymistarum – *in statu nascendi est* – etiam hoc epistolium est brevius quam urbanius. Sed bene spero te veniam daturum esse breviloquentiae meae ipsum novae Leoninae legendae cupidum. Gratias immortales (ut ait *Cicero*) et ingentes (ut ait *Pia Egeria*) pro lectione *Amitae Fridae* et commentatione subtilissimâ! Commendationes tuas maximam partem secutus sum, de paucis quae mihi minus arriserunt postea tibi scribam. Videbis nonnullas notulas in textu edito.

Quod attinet ad *Monstrationem tuam Augustanam*, Maximiliane Mystagogue, tibi optima quaeque exopto; doleo vehementer, sed etiam proximo die Saturni mihi nulla erit occasiuncula Augustam Vindelicum petendi. Habeas me iterum excusatum! Bene spero aliquando occasionem mihi fore... Haec raptim, mox plura. **Vale semper,**
Nicolaus

NAEVIUS SARTORIUS

d.03. m.Iul. a.2023 h.20:16

Nicolaus Naevio s.

Martinus Lucimissalis scribit luculenter! Societatis nostrae mutationes morbosas explicat gravissimê. **Vale, NIC.**

d.03. m.Iul. a.2023 h.20:24

Naevius Nicolao s.

Ni fallor, nomen originale eius est "Schemlitz". "Lichtmesz" est anagramma; sed nihil interest. Optime scribere potest ille *Lucimissalis*; acumen eius valde diligo. **N.**

d.05. m.Iul. a.2023 h.17:40

Nicolaus Naevio s.

In hanc ethologiam (v. appendicem!), care Naevi, cuiusdam Austriaci infandissimi, ducis Germaniae omnium nocentissimi, hodie ante meridiem contra spem, forte Fortunâ incidi perlustrans ipsum *Tormentum Democratiae Antiaerium* a.1964 in lucem editum. Quid tibi, care Naevi, videtur de hôc cimelio biographicô? Doleo, quod non indicatur auctor huius symbolae *Speculi Hammaburgensis*; num eius nomen celatur quia fuerat assecla Duci nimium fidelis? Ex lectione quidem patet illo tempore (a.1964) Specularios nondum fuisse partis politicae sinisterrimae. Nam homuncio nobis nefandus non omni ex parte describitur improbissimus - an falli tibi videor? - Ceterum ethologus etiam commemorat illam explicationem odii Iudeorum, quae spectat ad quendam Dominum Iudeum, qui avitam Austriaci nefandi famulam gravidam fecisse dicitur, sed eandem thesin non affirmat. **Vale semper, NIC.**

d.05. m.Iul. a.2023 h.19:50

Naevius Nicolao s.

Care Nicolae, gratias tibi ago. Ille *Percy Schramm* - vir doctissimus et historiae peritissimus - fecit id quod (nobis) eo tempore non iam licet: Solum descriptsit hominem, demonstravit "Ducem" hominem verum fuisse. O flagitium maximum! O scelus summum! *Percy* ille ausus est pingere imaginem hominis realis, non imaginem monstri ingentissimi. O miraculum! Etiam istud monstrum homo natus est.

Sed eo tempore solum decet habere "Ducem" portentum horribile vel partem satirae. Numquam in omne aeternum nobis licet istud monstrum hominem habere. Omnia quae fecit, pessima fuerunt, omnia, omnia sine ulla exceptione. Si iste homunculus Brunoviensis dixisset II + II = IV esse, mathematica omnino denuo inveniri debuisset...

Si quis nostro tempore more illius *Schrammii* scriberet de "Duce Germanorum et imperatore omnium temporum maximo (Gröfaz)", publice periret! Is suppicio sociali afficeretur. Itaque revera invenisti gemman quandam biographicam. Placet.

Vale semper VN

PS Textum me monet de ea scaena: <https://www.youtube.com/watch?v=n1ax0ARnL24>

d.05. m.Iul. a.2023 h.20:32

Nicolaus Naevio s.

Scaena verê iocosissima. Perplacet! Bene recordor illum *Heidemannum Stellae* relatorem a *Conrado Kujau* deceptum. https://de.wikipedia.org/wiki/Gerd_Heidemann https://de.wikipedia.org/wiki/Konrad_Kujau Ceterum *Conradus Kujau* in carcere Ulmensi captivus fuit. **Vale, NIC.**

d.05. m.Iul. a.2023 h.21.30

Naevius Nicolao s.

Perplacet revera. Spectans scaenam illam semper ridere debeo. Ille *Helmut Dietl* scaenotheta optimus fuit, etiam ille *Mühe*, ille *George*, ille *Juhnke* actores excellentissimi fuerunt. "Schtonk" est opus ingeniosum! Etiam scaena haec optima est "FH": <https://www.youtube.com/watch?v=QTGMnPS-nxg> Scaena finalis: Ille *Willié (Heideman)* insania capit: "Vivit, vivit! (scil iste Dux!): <https://www.youtube.com/watch?v=9TmfWSrbQiU>

d.07. m.Iul. a.2023 h.07:42

<https://www.youtube.com/watch?v=F-5Agk7MB-w> Sahra Wagenknecht: "So würde meine Partei aussehen"

Naevius Nicolao s.

Ille *Marcus Fridericus* inflammatus esse videtur acumine, eloquentia, formositate, aura *Sahrae* nostrae. Locus camerae etiam momenti est; pedes *Sahrae* prorsus sub oculos cadunt. **Vale, N.**

d.07. m.Iul. a.2023 h.12:03

Nicolaus Naevio s.

Sahra semper praebet spectaculum laetabile. Tamen - ut ipsa confitetur - factio non constat ex unâ tantum personâ - etsi pulcherrimâ et prudentissimâ. Non videmus neque animo fingere possumus, qui homines futuri sint ministri unâ cum Sahrâ cancellariâ Germaniam gubernantes. Itaque - quamvis vehementer venerer *Sahrae* formam et mentem praeclarissimam atque excellentissimam - in praesenti potius spero nationem nostram gubernatum iri ab ALTERNATIVIS. Fiat factio Sahriana - si qua erit - iisdem oppositio dignissima. Omnes sententias *Sahrae* politicas laudo et comprobo, quia mihi videntur esse firmae et graves - praeter unam, quam usque nunc eadem nullo modo explicavit neque ullo indicio vel argumento firmavit: eam, quam omnes adversarii Alternativorum afferre non desinunt: sententiam, quâ factio Alternativa Germaniae quodam retificio secreto dirigatur nonnullorum extremistarum dexterrimorum, immo fascistarum vel nacistarum. Scilicet in hōc contextu sermonis semper exemplum afferri omnium maximē horribile, id est exemplum istius viri Thuringiensis, qui cum Duce Germaniae omnium nocentissimo communicat ipsam litteram nominis gentilicii initialem. Vehementer doleo, quod haec sententia etiam a Sahrâ, quae alioquin tam iustê atque splendidê argumentetur, superficialiter tantum parumque persuasibiliter solet afferri.

Velim autem scire, ...

... num verba *Ursi Thuringiensis* in illo libro ominoso facta, ubi idem vir colloquitur cum pictore quodam, reverâ contineant ideologiam illius Austriaci Brunoviani nefandissimam maximē intolerabilem

... num idem Ursus Thuringensis reverâ tantâ potestate sit, ut omnia membra factionis Alternativae (Aliciam et Tinonem et Alexandrum et Curionem et Ciconiam omniaque cetera membra) tam potenter dirigat quam director theatri neurospastici filis movendis dirigit pupas suas? Hae duae quaestiones usque nunc mihi videntur ab adversariis Alternativae parum subtiliter parumque persuasibiliter tractatae esse. Itaque usque nunc nullam causam veram video, quâ Alternativa timenda et evitanda sit, immo pro certo habeo in praesenti nullam alteram factionem tam aptam esse ad Germaniam gubernandam quam Alternativam. Dixi. Care Naevi, quid tibi videtur?
Vale semper. NIC.

d.07. m.Iul. a.2023 h.20:06

Naevius Nicolao s.

Care Nicolae, gratias magnas tibi ago. Mihi hoc videtur:

Primo, quod attinet ad illum Ursum – nescio qualis et quanti momenti is sit in factione. Structuras internas, proelia et foedera interna nescio, quamobrem solum suspicari possum. Denuo dicam: suspicari – ille ludus intellectualis – mea opinione nihil prodest, itaque non volo.

Secundo, dubito an sit ille Ursus extremista dexterimus, fascista vel etiam nacista. Is certe est romanticista nationalis; de eo, ut scio, consentimus. Fortasse ei etiam placet idea „socialismi nationalis“ – quod, ut vehementer et clare urgere volo, non est „nacismus“ in Germania illo tempore horribili XIX saeculo factus.

Pro certo habeo Ursum non diligere istum „Ducem“; pro certo habeo eum etiam damnare scelera ingentia istius catervae fuscae Ducis; etiam opinor eum antisemitam non esse. Sed nonnulla dicta Ursi mihi non clara esse videntur, quamobrem ea a multis hominibus male intellegi possunt – et ab adversariis politicis eius *consilio* male intelleguntur. Exemplum parvum, sed notum notoriumque bene scimus; olim locutus est de „monumento ignominiae nationalis“ Estne genitivus obiectivus vel subiectivus? Is mos consilio (?) vage loquendi mihi displicet. Exemplum aliud dare velim: Quid sibi vult verbum *mittendi* in contextu hoc?

„Auch wenn wir leider ein paar Volksteile **verlieren** werden, die zu schwach oder nicht willens sind, sich der fortschreitenden Afrikanisierung, Orientalisierung und Islamisierung zu widersetzen.“

Mihi videtur Ursus nimis aestimare momentum nationis; certe nationes exstant et formant homines, sed identitas nationalis solum est unum ex multis signis formantibus mores hominis.

Etiam non ignoras me putare illos „dextros novos“ (*nouvelle droite*) de rebus oeconomicis paene nihil scire vel nihil scire velle; ei *cum grano salis* videntur ignorare oeconomiam esse momenti summi – imprimis eo tempore nostro moderno. Unum ex exemplis horribilibus illius momenti est ista *Organizatio Valetudinis Mundanae*, quae – ut Sahra formosa nuper rectissime opinata est – est apparatus conditus a potentissimis et divitissimis velut isto Vilemulo Portario lucri summi faciendi causa. Quid audio de ea re a dextris novis? Malum, ne dicam nihil.

Quid concludam? Sane difficile est Ursum aestimare. *Nacista* in sensu historico verbi non est; „*nacista*“ sensu verbi pugnatorii (sinistri) est (Sed quem isti burgenses morales non habent *nacistam*?). Nescio an Ursus sit aptus ad politicam oeconomicam prudentem, ad id quod dicam *politican realem*, ad *rationem civilem*. Estne Ursus fortis in re et suavis in modo? Adhuc solum scimus eum fortem in orationibus esse.

Tertio, quod attinet ad gubernationem Alternativam: Proponis quaestionem theoreticissimam. Etsi Christianodemocratae – isto Merzio abdicante et non iam ducente – audent foedus cum Alternativis facere, multa conventa politica fieri debent. Etiam mihi gravissimum videtur – ut iam prius solebam dicere – recuperare *spatium praepoliticum*. Si vires illius spatii gubernationi adversae sunt, ea experitur illos inimicos fortes.

Alternativi capita prudentiora, deputatos oratoresque meliores habere videntur. Sed adhuc solum partem parvam eorum aspicere possumus in theatro cottidiano consilii foederalis; certe videmus spectaculum bonum ab Alternativis datum; id etiam est momenti politici cuiusdam, sed id quod dicam *politican realem*, imprimis post frontes consilii fit.

Et de illa politica reali in commissionibus parvis (*Ausschüssen*) tractanda, in congressibus privatis adhuc paene nihil scimus. Etiam nescimus, quomodo gubernatio Alternativa – si quidem talis esset - rem publicam gereret; nescimus quomodo factio cresceret; nescimus quales pugnae internae pugnarentur; nescimus qualis resistentia extranea (ab USA et EU effecta) Alternativis instaret. Nescimus quot sodales Alternativi haberent aptos ad munera administrativa fungenda.

Respicere debemus etiam legem aeternam historicam sociologicamque factionum: Si habent potestatem politicam, eam retinere multis – ne dicam: omnibus – opibus volunt. Id dicam *petrificationem politicam*, quae eo tempore in factionibus aliis observari potest - et in aliis apparatus velut ecclesiis nostris. Ille Nietzsche illam petrificationem optime descriptsit: "Personenwechsel. – Sobald eine Religion (adicere volo: „oder Weltanschauung oder eine bestimmte Politik“) herrscht, hat sie alle die zu ihren Gegnern, welche ihre ersten Jünger gewesen wären." **Vale semper VN**

d.07. m.Iul. a.2023 h.21:24

Nicolaus Naevio optimo sal.pl.

Gratias plurimas pro analysi subtili indolis et Ursi Thuringiensis et factionis Alternativae. Dicis multa adhuc incerta esse; suspenso animo exspectamus quae sint futura. Nemo scit quid serus vesper vehat. - Proximâ in Epistulâ Leoninâ symbolam publicare mihi in animo est, cui superscribam titulum, q.e. DE FACTIONE ALTERNATIVA DEQUE URSO THURINGIENSI. Assentirisne?

Vale semper, NIC. P.S. Nondum in EL 280, sed certê in posteriore. LL

d.07. m.Iul. a.2023 h.22:52

Naevius Nicolao s.

Care Nicolae, gratias tibi ago. Assentior. **Cura ut valeas VN**

d.08. m.Iul. a.2023 h.18:53

Nicolaus Naevio optimo sal.pl.

Scilicet celeritatem esse adversariam subtilitatis: Sed aetate interretiali plerumque celeritatem praevalere. Numquam antea tantâ multitudine fontium fuimus; sed difficile est inventu, quantâ credibilitate sint singuli fontes. Ii fontes, quibus iam saepe usi sumus, scimus melius aestimare quam omnino novos. **Vale, NIC.**

d.08. m.Iul. a.2023 h.19:11

Nicolaus Naevio optimo sal.pl.

Si qui histologista (*blogger*) commercialis non quam cupidissimê et indesinentissimê studet spectatores inescare eorumque benevolentiam et attentionem captare, mox decocturus est. Talis homo potius est leno quam nuntius aut ... magister. **Vale, NIC.**

d.08. m.Iul. a.2023 h.19:34

Naevius Nicolao s.

Recte, quamobrem histologistae non sumus et numquam erimus. **Vale, N.**

d.09. m.Iul. a.2023 h.14:15

<https://kontrafunk.radio/de/sendung-nachhoeren/politik-und-zeitgeschehen/die-sonntagsrunde/die-sonntagsrunde-mit-burkhard-mueller-ullrich-arzt-gefesselt-vor-gericht>

Nicolaus Naevio s.

min 42-44: Jost Landgrebe dicit Henricum Habigium medicum Iusiurandum Hippocratis observavisse. Punitum esse, ut poenâ liberarentur medici scelerati. **NIC.**

d.09. m.Iul. a.2023 h.17:45

Naevius Nicolao s.

Colloquium iucundum; de verbis illius *Landgrebe* a te allatis non consentio; is *Jobst* mihi videtur tantummodo paulum scire de iure poenali et de iure processuali poenali;

certe non debet scire, quia iurisconsultus non est, sed loco huius viri si essem, verba diligentiora facerem. Dicta eius sane generalia sunt.

Ceterum, illud verbum "ut" displicet. "Punitur, **ut** medici scelerati liberarentur". Cur et quomodo is finis impetraretur, non dicit. Mihi omnino non clarum est. In illa causa infelicissima Habigiana solum agitur de falsatione testimoniorum. Ius iurandum Hippocratis observare rectum et bonum est, sed iure iurando illo delicta poenalia - velut falsatio - committi non permittitur.

Medici haec iurare debent: „*Als Mitglied der ärztlichen Profession gelobe ich feierlich, mein Leben in den Dienst der Menschlichkeit zu stellen. Die Gesundheit und das Wohlergehen meiner Patientin oder meines Patienten werden mein oberstes Anliegen sein.*“

In huius iuris iurandi verbis non invenimus medici esse adiuvare homines in rebus socialibus et iuridicis.

Iam saepe dicebam difficillimum esse medicos, qui homines vaccinarent, punire. Omnes inoculationem coronariam accipientes sciebant eam novam esse, eam experimentalem esse - tamen consentiebant. Medicus nihil contra legem fecit. *Landgrebe* normas morales non clare a normis iuris distinguere videtur.

Haec omnia, de quibus modo locutus sum, res iuridicae sunt. Etiam clarum est problemata moralia socialiaque inoculationis adhuc non soluta esse. N.

Addendum: Iusiurandum Hippocratis de iure nihil valet. <https://www.arztrecht24.com/die-aerztliche-schweigepflicht/>

d.10. m.Iul. a.2023 h.15:02

Nicolaus Naevio sal.

In appendice invenies unam ex illustrissimis *Ludovici Thomae* narratiunculam togâ indutam. Si vacas, perlegas, quaeso, et scribas mihi, num mihi sat bene contigerit, ut imitarer elocutionem Thomae puerilem et ironicam et satiricam et iocosam. Maximê mihi videtur valere facilitas verba intelligendi, ut versio Latina sat rapidê legi et intellegi possit, ne vis comica perdatur. - Quid tibi videtur de elocutione? Scilicet versio numquam potest aequare textum originalem, sed oportet interpres studeat ad qualitatem originalem quam proximê approximare. - Et quid de arguento? Nonne tibi persona nôta est amitae isti *Fridae* haud absimilis??? - Nonne omnis nostrum tales homines iam vidi et audivit? Mihi perplacent hae narratiunculae. **Vale semper, NIC.**

d.10. m.Iul. a.2023 h.16.56

Naevius Nicolao suo sal.,

Gratias tibi ago; eo tempore otium ad responsum prolixum me deficit, sed legens narratiunculam originalem et deinde conversionem tuam haec raptim dicere volo: Numerus elocutionis illius Thomae in conversione tua optime exprimitur; etiam brevitas et simplicitas sermonis Thomaesiani a conversione optime repercutiuntur. Confiteri debeo me personam realem similem isti Fridae nescire, sed scio personam - etiam est amita! - haud absimilem in narrationibus illius *P.G Wodehouse*, qui creavit notam personam illius pincernae (*Butler*) *Jeeves*, cuius dominus est *Bertie Wooster*.¹ Quod attinet ad amitam *Agatham* ille *Bertie* infelix et parvus est; ista *Agatha* dominans vult eum puellas horribiles, *Bertie* displices in matrimonium ducere.

1 https://en.wikipedia.org/wiki/P._G._Wodehouse: Sir Pelham Grenville Wodehouse, KBE (‘wudhaus/ WOOD-howss; 15 October 1881– 14 February 1975).

Quamobrem consobrini eius - *Claude et Eustace "Wooster Twins"* - eam dicunt "*nephew crusher*" - quasi *nepotum oppressorem*. Ceterum, amitae est etiam bestiola, canis parvus, qui dicitur *McIntosh*. At *Jeeves* (dominus realis) est astutus prudensque - *Bertie* saepe servans ex condicionibus difficillimis ...Si vacas, specta hanc scaenam: <https://www.youtube.com/watch?v=Te3SvM-aG04> (9:30) **Vale semper VN**

d.11. m.Iul. a.2023 h.09.16

<https://reitschuster.de/post/nur-bewaehrungsstrafe-fuer-arzt-der-51-patienten-ansteckte/>

Naevius Nicolao s.

Scis me etiam opinari poenam (et custodiam quaeſitoriam) in causa illa infelicissima Habigiana modum transire, etsi argumenta advocati ad *necessitatem (Notstand)* spectantia non probo. **N.**

d.10. m.Iul. a.2023 h.23:25

<https://www.youtube.com/watch?v=dLoRGNDrluY>

Nicolaus Naevio s.

FEROZIUS DE URSO THURINGIENSI

Vale, NIC.

d.11. m.Iul. a.2023 h.08:30

Naevius Nicolao s.

Modo audivi. Ille *Ferozius* fecit analysin psycho-politicam optimam. Clarissime perspexit condicionem psychicam rei publicae nostrae. Diligo eius acumen.

d.11. m.Iul. a.2023 h.08:44

https://www.youtube.com/watch?v=5ZYssWwJL_w Alice Weidel ist nicht zu schlagen! Großartiges Interview!

Nicolaus Naevio s.

Relator stultus et arrogans, mulier linguā prompta, summo acumine mentis. **NIC.**

d.11. m.Iul. a.2023 h.10:51

Naevius Nicolao s.

Relator iniucundissimus. Quis est iste homo? **N.**

d.12. m.Iul. a.2023 h.09:46

"vielen Senioren wären ihre Häuser zu groß und die Gärten zu arbeitsintensiv; andererseits interessierten sich junge Familien für größere Wohnungen und Häuser. Das passt für die **Grünen** gut zusammen. Zumal man damit Neubauten vermeiden kann. Im Stadtrat von Sigmaringen (BaWü)) wurde ein entsprechender Antrag zum Haus- oder Wohnungstausch mit allein lebenden Senioren eingebbracht." EPOCH TIMES

Nicolaus Naevio s.

Estne expropriatio massalis exspectanda??? **NIC.**

d.12. m.Iul. a.2023 h.09.53

Naevius Nicolao s.

Eam exspecto, turpissimum est omne hoc: De iure expropriatio non est, sed de facto. Propter insaniam prasinam pretium praediorum deminuitur.

d.12. m.Iul. a.2023 h.11:49

<https://reitschuster.de/post/deutlicher-anstieg-bei-totgeburten/>

Nicolaus Naevio s.

Num a.2021 aliquid factum est, quo effectae sunt mortes foetales? Aenigma! Quare hae effici potuerunt? Omnino nescio, ne suspicor quidem aliquid. Scisne tu explicare, quae sit causa huius phaenomeni? Num in causā est Factio Alternativae Germaniae

(AfD)? Num Ursus ille Thuringiensis - nefas! - has mortes effecit? Num Putinus est effector huius mali? An Orbanus Hungarus diabolus? An Donaldus ille Trumpius? Num mutatione climatis anthropogenâ hae mortes effectae sunt? An nova pandemia in causâ est? Quid sentis? **Vale, NIC.**

Naevius Nicolao s.

De ea re modo etiam ego legi hic:

https://www.destatis.de/DE/Presse/Pressemitteilungen/2022/07/PD22_303_12.html

Certe iste *Putinus* etiam hoc malum effecit. Quid dixit iste *Harbarth*? Pericula et mala esse effecta "*durch Destabilisierungsversuche von außen*". **N.**

d.19. m.Iul. a.2023 h.22:56

Ex-Präsident Gauck lästert massiv über Ossis & AfD-Wähler! <https://www.youtube.com/watch?v=hYPC9sKHTUY>

<https://www.youtube.com/watch?v=mQArh9RuGLs>

Nicolaus Naevio s.

ALEXANDER ASPER (QUEM TU SUSPICARIS ESSE LUCRIPETAM CINEMATA PRAEMATURA PRAEBENTEM) IN HAC RE TECUM CONSENTIRE VIDETUR

d.19. m.Iul. a.2023 h.23.14

Naevius Nicolao s.

Recte, ille Asper in hac re revera fecit analysin accuratam psychologicam. Estne is orientalis (Ossi)? Iste *Gauckius* superbus et intolerabilis est; recordarisne verba tua de eo? Ecce! "*Oportet fugetur a nobis in deserta et pelle cameli vestitus devoret locustas et relinquat nos quietos! Vultures devorent istum rattum a nobis saginatum incredibiliter superbientem*". **N.**

IN MEMORIAM PIISSIMAM

IOHANNIS BAPTISTAE EICHENSEER

HAEC VERBA LATINA CAELESTIS EICHENSEER DEDICAVIT PATRI SUO¹

Iohannes Baptista Eichenseer, pater meus, die octavo mensis Martii anno 1893°, in vico Pielenhofen in Palatinatu Superiore (Bavariae) patre textore natus, d. 29. m. Augusti anno 1976°, dominico, viginti fere minutis ante campanarum sonitum «Salutationis Angelicae» meridianum tranquille in Domino obdormivit, postquam d.21° m. Augusti parapléxiā passus in nosocomiū Oberstorf(i)ense transportatus est, ubi diebus insequentibus etiam pneumóniā laborabat. Idem quattuordecim annos natus parentibus iam orbatus priore bello mundano in Gallia militavit officia telephonistae diligenter exsecutus. Etiam posteriore bello universali fuit in Francogallia (prope Lugdūnum), at non miles, sed rei ferriviariae addictus et adscriptus. Fuit autem per totam vitam opifex ferriviarius simplicitate sinceritateque morum maxime conspicuus. Porro confecto bello priore in Algoiam (Germanice: Allgäu) commigravit a commilitone quodam amicaliter invitatus, ubi d.15° m. Novembris a.1920° Mariam Reginam Fink uxorem duxit, quae est mortua d.19° m. Aprilis a.1973°.¹⁾ Ex quo matrimonio duo filii (Iosephus et Adolfus) duaeque filiae (Angela et Erminolda) sunt orti. Latinam autem linguam pater meus nescivit praeter preces graduales missae Tridentinae, quae me puerum efficienter graviterque docebat, et versūs quosdam psalmorum vesperalium, qui ineunte saeculo vicesimo diebus dominicis etiam in parvis ecclesiis paroecialibus ruralibus Palatinātū Superioris sollemniter cantabantur, et responsoria missae, quae usque ad Secundum Concilium Vaticanum in ecclesiis catholicis semper aut dicebantur aut canebantur. His verbis versiculisque Latinis, quae etiam in habitatione domesticā non raro altā voce cantare solebat, tam propter religiositatem et universalitatem quam ob sonoritatem et mirabilitatem mirum quantum gavisus, quamvis adulescens acerbissima a parocho suo passus esset,²⁾ et Ecclesiae catholicae intime indissociabiliterque coniunctus aegerrime tulit, quod post Secundum Concilium Vaticanum (contra mandatum Constitutionis liturgicae) usus linguae Latinae ex missae celebratione magis magisque amandabatur missaeque forma magis magisque mutabatur.

Itaque fiebat, ut in ecclesia magis magisque extorris et exul esse sibi videretur. Has ob causas iterum iterumque magnis curis sollicitudinibusque complebatur, quibus animus eius his annis proximis et deprimebatur et gravabatur, cum insuper cognovisset quasdam Christianitatis res in melius nequaquam evasuras.

Tamen spe firmā, quin etiam firmissimā Salvatoris tenebatur confidenter ratus diligentibus Deum omnia in bonum esse cooperatura [cfr VVLG.Rom. 8,28]. Hac intrepidā fiduciā nixus diem supremum obiit ope Marīae Virginis Matrisque fretus omnes mundiales vicissitudines incertitudinesque effugiturus inque regnum caelorum, non in pseudoparadisum, feliciter beateque transcensurus. **QVIESCAT IN PACE CHRISTI !**

29. 9. 1976.

P. C. EICHENSEER

¹ Textum excerpti ex: VOX LATINA, Commentarii periodici quater in anno Saraviponti (*Saarbrücken*, in Saraviā) editi, Tomus 12 (1976), Fasc.45, p.264sq.: IN MEMORIAM PIISSIMAM IOHANNIS BAPTISTAE EICHENSEER. Scripsit d.29. 9. 1976 PATER CAELESTIS EICHENSEER.

¹⁾ Cfr VOX LATINA 32/1973, p.11, ubi legendum est: pancreatitis morbo, non: peritonitis morbo.

²⁾ Cf. VVLG. Matth.16,21 multa pati a senioribus et scribis et principibus populi.

EPISTULA CHRISTIANI LAES: DE CERTAMINE QUIRINALI



**PROF. DR. CHRISTIANUS LAES
ANTVERPIENSIS ET MAMUCIENSIS**

Christianus Laes praeses omnibus sodalibus ALF salutem plurimam.

Conventiculo ALF feliciter peracto, licet mihi vobis annuntiare rem alicuius momenti, de qua inter consiliarios sumus collocuti.

Nemo enim nostrum ignorat certamina Latina, quae nunc exstant, ad carmina vel fabulas narrationesve fictas plerumque spectare eodemque tempore neglegere symbolas et commentationes doctas, quas olim studiosi saepe Latino sermone pangebant. Omnibus patet quaquaversus quantopere homines docti ac praesertim philologi, exoleta consuetudine scribendi Latine, munere suopte se abdicarint.

Nobis est persuasum Latinam linguam commercia inter doctos, praecipue inter eos, qui disciplinis philologis, historicis archaeologicisve student, hodierno quoque tempore fovere posse. Commentarios academicos exarare sermone naturali et communi scrutatoribus rerum classicarum inceptum est laude dignum, cum nationibus cunctis ostendat pro imperio linguae Anglicae alterum sermonem ‘universalem’ substitui posse.

Qua de causa cogitavimus de certamine ab Academia instituendo, ut optima symbola Latine scripta et in commentariis periodicis divulgata praemio honestetur. Certaminis praeconium documento subiuncto inest. Propositum primum huius certaminis erit suadere studiosis, praesertim iuvenibus, ut investigationes doctas Latine publici iuris faciant. Ne plura scribam: sint Maecenates, non deerunt Marones...

Praesertim sodali nostro Marco Cristina gratias ago, qui hoc propositum
summo studio atque ardore excogitavit, propagavit, defendit.
Valeatis pancratice atque Latinitatem fovere pergatis

Prof. Dr. Christian Laes

Departement Geschiedenis/ Department of History
Universiteit Antwerpen/ University of Antwerp
Stadscampus S.SJ.303 Sint-Jacobsmarkt 13
B 2000 Antwerpen

CERTAMEN QUIRINALE

Academia Latinitati Fovendae ad primum Certamen Quirinale omnes antiquitatis litterarumque studiosos invitat, ut optima symbola inter a. 2018 et a. 2023 Latine publici iuris in commentariis periodicis facta praemio honestetur.

Ab universis scriptorum auctoribus rogatur, ut symbolam (iam typis traditam) non ex alio sermone versam nec quinque paginis breviorem iudicibus ante Kalendas Februarias a. 2024 mittant ad inscriptionem cursualem electronicam, quae est certamen.quirinale@gmail.com. Symbolae tantum accipientur, quae e plagula .pdf constant. Unam symbolam existimandam omnis candidatus tradat.

Collegium sodalium Academiae attente considerabit ac iudicabit commentationes doctas (e.g. philologas, litterarias, philosophicas, theologicas, archaeologicas, historicas, glottologicas vel musicologicas), aestimata et stili Latinitate et argumenti gravitate. Symbola enim enixe exquiritur non solum Latino sermone emendato scripta, sed etiam de rebus quae maioris sint momenti ad progressum disciplinae cuiusvis provehendum. Qua de causa scriptionibus tantum in commentariis periodicis editis in certamen venire licet et textus omnes reicientur sive qui his normis non responderint, sive qui ad argumenta privata vel pensa scholastica pertinere videbuntur sive qui ante Kalendas Ianuarias a. 2024 nondum publici iuris facti sint. Cum praemium proponatur curante et auspice Academia Latinitati Fovendae, cuius socii munere iudicis fungentur, nullus sodalis Academiae praemium accipere poterit.

Praemium victoris erunt Euronummi 500 una cum diplomate. Omnes candidati de exitu certaminis fient certiores mense Maio anni 2024 et victor in conventu ALF eiusdem anni praemio honestabitur.

Commentarii periodici, qui symbolas Latino sermone scriptas accipiunt, sunt e.g. *Aevum*, *Arctos*, *Aristeas*, *Eos*: *commentarii Societatis Philologae Polonorum*, *Epistula Leonina*, *Eranos*, *Exemplaria Classica*, *Giornale Italiano di Filologia*, *Gnomon*, *Hermes*, *Hyperboreus*, *Latinitas*, *Latomus*, *Melissa*, *Museum Helveticum*, *Peitho: examina antiqua*, *Philologia Classica*, *Renascens*, *Rheinisches Museum für Philologie*, *Rhetorica*, *Symbolae Philologorum Posnanensium*, *Tyche*, *Vox Latina*.

ECCE MYSTAGOGUS PULCHER AUGUSTANUS




<https://maximilianus-schoen.jimdosite.com/>

Quomodo communicandum

**Communicemur per 0821 / 9069613
sive per maximilianus-schoen@t-online.de**

**Anfragen unter 0821 / 9069613
oder per Mail maximilianus-schoen@t-online.de**



Alexey Slednikov

К этому письму приложены ссылки на следующие файлы:

1. A. Slednikov de Latinitate viva.pdf (87.2 Мб)

Ссылка для скачивания файлов:

<https://cloud.mail.ru/stock/iSxU1M8WCzTk6fyKA38nvuPD>

Файлы будут храниться до 31.10.2023

ECCE LIBRI LEONIS LATINI

Permitas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdē augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuē disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.

Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hōc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:

- | | |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat)..... | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum)..... | 42,00 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser)..... | 45,00 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |

PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non éditur in domunculā Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».

GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.

Habeas nos excusatos, quod situm interretiale (i.e. anglicē »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.

Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam – rapidissimē ejectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtualem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et caraē. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; caraē sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumerās, quibus operam dedit illis creandis.

Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA ΕΙΣ ΑΕΙ.

XXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXX

INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR.	Num. mandate tiae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANS- LATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI- TUDO	PRETIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA—Libri audibiles	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE —Libri audibiles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	MEMENTO MORI	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	00404A	978-3-938905-17-3	MEMENTO MORI – Libri audibiles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	DE CRAMBAMBULO	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	DE DINOSAURIS	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	SUDATORIUM VENERIS	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	PERICULUM FRANCISCI	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	NUPTIAE ABDERITANAЕ	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN	Henricus van den Lande de Raelt	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,50
14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIANAE 1	Jacob Grimm/Wilhelm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90

					Grimm				
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenmat t	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptman	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	00505A	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	00605A	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	00705A	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibles	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAЕ	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIMUM	Karl Friedrich Kielmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibles	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	00406A	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – Libri audibles	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90
27	00506A	978-3-938905-26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – Libri audibles	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90
28	00107A	978-3-938905-27-2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	----- --	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	00207A	978-3-938905-28-9	OBSIDIO SAGUNTI A T.LIVIO DESCRIPTA	Livius	-----	2007	Audio	53 min.	€ 23,90
30	00307	978-3-938905-29-6	FABELLAE GRIMMIANAE II	Jacob/Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD-ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**

**HANC EPISTULAM LEONINAM
DUCENTESIMAM OCTOGESIMAM**



**SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE
PERFECIT**

Die Iovis, 20. m.Iul. a.MMXXIII



**Dr. Nicolaus Groß
LEO LATINUS
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae**